QUAESTIONES CRITICAE
IN EURIPIDEAM ALCESTIDEM.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

UT SUMMI

IN PHILOSOPHIA HONORES,

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE VI MENS. MAII A. MDCCCLVIII HORA X

IN AULA LEOPOLDINA

H. L. Q. C.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

WLADISLAUS DE KOLANOWSKI,

POSNANIENSIS.

OPPONENTIBUS:

C. WIESZNER, SOD. SEM. PAEDAGOGICI.
A. HOPPE, SOD. SEM. PHILOLOGICI.

POSNANIAE,

TYPIS MERZBACHII.

1858.

20

PROOEMIUM.

Dissertationis conscribendae occasione oblata, cum quaestiones nostras criticas in Euripideam Alcestidem cum benevolo atque erudito lectore communicare constituerimus: ne aut actum jam laborem suscepisse, aut minus verecundam manum emendandae fabulae admovisse videamur; qua ratione hac in re versati simus, quaedam praemittere juvabit.

Intellexerunt recentiores videruntque jam veteres critici, fabulas Euripideas aliis locis tanta laborare corruptela, ut quae genuina sint divinare liceat; aliis autem codices adeo inter se dissentire, ut in dubio sis, utrum haec an illa lectio tenenda sit. Quo factum est, ut Euripidis tragoediae uberrimam ingenii doctrinaeque palaestram viris doctis aperirent, quorum alii

aliam medelam innumeris locis vexatis adhibebant. Hoc veri reperiendi studio quanquam permultae inveteratae insulsaeque lectiones e contextu remotae sunt, aliquantum tamen etiamnunc ab emendato Euripide distamus et quae subsidiorum nostrorum conditio est, poetae tragoedias vix unquam omnino planas et perspicuas habebimus. Quapropter nobis literarum arenam nunc primum ingredientibus excusatio detur, si, difficillimo emendandae Alcestidis negotio suscepto, quae nobis aliter atque viris doctis visa sunt, ea proferre non veriti sumus. Etenim tantae arrogantiae non sumus, ut nos fabulae Euripideae contextum, quod illis adhuc non contigit, restituturos esse putemus; sed si aliquid alicui recte vidisse probabimur, perbeatos nos potius existimabimus, sin autem ne hoc quidem nobis concesserit eruditus lector, tum sane nihil habemus, quo nos consolemur, nisi ea quae apud Platonem Socrates dixit *ἀλλὰ καὶ ἐπιχειροῦντί τοι τοῖς καλοῖς καλὸν καὶ πάσχειν ὅτι ἄν τῳ ξυμβῇ παθεῖν* atque illud Menandreum *τόλμῃ δικαίᾳ καὶ θεὸς συλλαμβάνει.*

Atque omissa disputatione de orthographicis illis et grammaticis minutiis, in quibus editores saepius inter se dissentiunt, eos potissi-

mum fabulae locos tractabimus, quos, cum iis aliquid excidisse manifestis indicetur argumentis, conjectura tentare licet. Jam de mutationibus, quas viri docti invitis libris in contextum receperunt, atque de iis lectionibus disputabimus, quae ab aliis codicibus aliter exhibentur, quarum quae genuina sit quaeri potest. Denique eos fabulae versus examinabimus, qui viris doctis aut ex ipsa Alcestide, aut ex aliis fabulis Euripideis, aut ex librarii arbitrio interpolati visi sunt.

His quaestionibus adjiciemus opinionem nostram de virorum doctorum suspicionibus, nonnullis fabulae locis aut totos versus, aut certe complures voces excidisse contendentium.

Haec fere sunt, quae tractanda atque explananda nobis proposuimus. In quo Alcestidis, quantum id quidem pro eruditione nostra fieri potest, emendandae negotio paucorum praestantissimorum quam multorum deteriorum codicum auctoritatem amplecti maluimus. Hos numquam secuti sumus, nisi si illi libri, quod interdum fieri solet, aut manifesto corruptam lectionem exhibent, aut etiam lacunam indicant. Iis vero locis, quibus codices eas lectiones tuentur, quarum nullam a poeta profectam esse libenter concedas, summam cautionem adhibendam esse pu-

tabamus, ne Euripidem, quod melius scribere potuisset, id scripsisse statuentes in conjecturis frustra versaremur. Saepenumero enim accidit, ut nimio emendandi studio incitati genuina cum suspicionibus, quae nobis magnopere arrident, commutantes, contextum potius corrumpamus, quam emendemus. Quapropter rarissime eum, ubi certa ratione visus est posse corrigi, conjecturis tentare ausi sumus, cum scilicet codices lectionem exhibent, quae inverecundam correctoris manum manifesto prodit.

Jam de incertis lectionibus cautissime egimus virorum doctorum auctoritatem hac in re maximam partem secuti. Lacunosos denique fabulae locos si nostris tentabamus conjecturis, id eo tantum consilio suscepimus, ut nobis ingenioli exercendi occasio hac re praeberetur. Quo in negotio num aliquid recte viderimus, viris doctis dijudicandum relinquimus.

Subsidia, quibus in nostra dissertatione conscribenda usi sumus, perpauca nobis fuere. Adhibuimus autem diligentissimam plurimorum codicum collationem a Kirchhoffio factam, multumque nobis profuit Nauckii Alcestidis editio, in qua veteres lectiones ex codicibus nunc deperditis depromptae atque editorum conjecturae

inveniuntur. Inspeximus praeterea diligenter Pflugkii, Bothii, Matthiaei, Hermanni, Hartungii, Dindorfii editiones, quibus hic illic optime adjuti sumus.

Restat, ut quaedam de Euripidis codicum auctoritate atque dignitate praemittamus. Sed cum hac de re Nauckius et nuper Kirchhoffius quoque in praefatione ad editionem suam Euripidis doctissime ita disputaverint, ut vix aliquid addi possit: ne eadem repetere videamur, missa haec faciamus.

In libris designandis Kirchhoffium secuti notis usi sumus his:

B.	Vaticanus.	optimi.
C.	Havniensis.	
A.	Harleianus.	boni.
B.	Palatinus.	
C.	Florentinus 2.	
G.	Harleianus m. sec.	deteriores.
a.	Parisinus.	
b.	Florentinus Vossii.	
c.	Florentinus 10.	
d.	Florentinus 15.	

Atque ex multis illis fabulae Euripideae locis, qui a critico tractari possunt, eos tantum elegimus, qui nobis uberrimam disputandi materiam praebuerunt. Difficillimum enim negotium est, Alcestidem, quae fabula diversissimis scatet lectionibus omni ex parte ita recensere atque adumbrare, ut nihil non ad liquidum perductum esse videatur, quae res subtile virorum doctorum ingenium desiderat.

vv. 17 sqq. *οὐχ εὗρε πλὴν γυναικὸς ἥτις ἤθελε*
θανεῖν πρὸ κείνου μηδ' ἔτ' εἰςορᾶν φάος,
ἣ νῦν κατ' οἴκους ἐν χεροῖν βαστάζεται
. . . .
ψυχορραγοῦσα·

Optime kirchhoffius post versum 18 e conjectura sua lacunam indicavit. Desideras enim, ut vocibus *ἐν χεροῖν βαστάζεται* aliquid adjiciatur, quod orationem magis accuratam atque definitam reddat. Excidit fortasse similis sententia, ac quae paullo infra v. 206 sqq. legitur, [1]) quam quomodo hic poëta expresserit, nobis non liquet. Mirum est sane, quod in nullo codice lacunae

[1]) *κλαίει γ' ἄκοιτιν ἐν χεροῖν φίλην ἔχων καὶ μὴ προδοῦναι λίσσεται τἀμήχανα ζητῶν·*

signa inveniuntur, neque ullus eorum id exhibet, quod excidisse suspicamur.

vv. 26. sq. ...... συμμέτρως δ'ἀφίκετο
φρουρῶν τόδ' ἦμαρ, ᾧ θανεῖν αὐτὴν χρεών.

Praeter necessitatem Nauckius exhibuit e conjectura sua σύμμετρος, quae orationem quidem elegantiorem hic reddit, sed, cum omnium codicum auctoritate refragetur, probari non potest.

vv. 48 sqq. ΑΠ. λαβὼν ἴθ'· οὐ γὰρ οἶδ' ἂν ει πείσαιμί σε.
ΘΑ. κτείνειν γ' ὃν ἂν χρῇ; τοῦτο γὰρ τετάγμεθα.
ΑΠ. οὐκ· ἀλλὰ τοῖς μέλλουσι θάνατον ἐμβαλεῖν.
ΘΑ. ἔχω λόγον δὴ καὶ προθυμίαν σέθεν.
ΑΠ. ἔστ' οὖν ὅπως Ἄλκηστις εἰς γῆρας μόλοι;
ΘΑ. οὐκ ἔστι· τιμαῖς κἀμὲ τέρπεσθαι δόκει.
ΑΠ. οὔτοι πλέον γ'ἂν ἢ μίαν ψυχὴν λάβοις.
ΘΑ. νέων φθινόντων μεῖζον ἄρνυμαι γέρας.

Ex his versum tertium Hermannus non recte interpretatus est, voces τοῖς μέλλουσι per Latinorum cunctantibus explicans. Accipit igitur vir doctissimus, Apollinem illa verba dicentem de Admeti parentibus cogitasse, qui voluntaria morte pro filio recusata de vita decedere cunctarentur. Sed Scholiastae illorum vocabulorum explicatio per τοῖς γεγηρακόσι omnibus aliis preferenda est. Apollo enim hoc ab Orco expetere voluit, ut Alcestis tamdiu servaretur, donec ad provectiorem aetatem perveniret; minime vero id efficiebat, ut Admeti parentes pro regina, cui mors fatalis erat, ad inferos deducerentur. Hoc optime elucet ex Orci verbis ἔχω λόγον δὴ καὶ προθυμίαν σέθεν, quae vertenda sunt jam scio sermonem tuum et benevolentiam tuam (sc. erga Alcestidem, quam nunc servari cupis) [2]), quibus auditis Apollo Orcum preci-

[2]) Improbo Bothium, qui hoc Orci responsum ironicum et irae planum esse putans sic vertit: Jam profecto scio

bus suis concessurum esse ratus sic dicere pergit *ἔστ' οὖν ὅπως Ἄλκηστις εἰς γῆρας μόλοι;* potest ne igitur fieri, ut Alcestis ad senectutem perveniat?

Sequitur nunc, ut demonstremus, vocabula *τοῖς μέλλουσι* idem hic significare, atque voces *τοῖς γεγηρακόσι*, quod per speciem fieri posse negaveris.

Atque res nota est, verbum *μέλλειν*, quod nude positum significat Germanorum im Begriff sein, gedenken, interdum ita poni, ut infinitivus, qui ejus verbi objectum contineat, cum ex paullo aut antecedentibus aut sequentibus verbis facile subintelligi possit, omittatur [3]. Id genus exempla et apud poetas et apud prosaicos scriptores multa invenimus [4]. Quodsi igitur hic ad voces *τοῖς μέλλουσι* ex continuo sequentibus vocabulis *θάνατον ἐμβαλεῖν* infinitivum *θνήσκειν* subaudias, eum, quem supra elicuimus, loci sensum habebis.

Etenim voces *ὁ μέλλων θνήσκειν* eum significant, qui sive sponte ad mortem properat, sive cui interitum aut fatum destinat aut homines parant [5].

---

tuum sermonem et quam erga me benevolentiam te habere dicis, quod sequentibus Apollinis verbis non convenit. Ceterum nulla est causa, cur Orco ironiam hic tribuamus, a qua Apollo plane abhorret.

[3]) cf. Matth. § 498 e. pag. 1123.

[4]) cf. Eur. Alc. 543, *τέθνηχ' ὁ μέλλων, κοὐκέτ' ἔσθ' ὁ κατθανών.* Hesiod. O. D. 355. *ὃς μέν γάρ κεν ἀνὴρ ἐθέλων* (sc. *δῷ*) *ὅγε κἂν μέγα δώῃ, χαίρει τῷ δώρῳ.* Eur. Herc. 384. Aesch. Pers. 800. Eur. Med. 756. Aesch. Pers. 810. Soph. Trach. 74. Audacissime dixit Plato Theaet. p. 148. E. *οὐδ' αὐτὸς δύναμαι πεῖσαι ἐμαυτὸν, ὡς ἱκανῶς τι λέγω, οὔτ' ἄλλου ἀκοῦσαι λέγοντος οὕτως, ὡς σὺ διακελεύῃ, οὐ μὲν δὴ αὖ οὐδ' ἀπαλλαγῆναι τοῦ μέλλειν* (sc. *λέγειν οὕτως*). Eur. Or. 1188. *τὸ μέλλειν ἀγάθ' ἔχει τίν' ἡδονήν* pro *τὸ τὰ ἀγαθὰ μέλλειν ἔσεσθαι ἔχ. τ. ἡδ.*

[5]) cf. Soph. El. 1460. *τί γὰρ.. θνήσκειν ὁ μέλλων τοῦ χρόνου κέρδος φέροι;* (quid enim prodest mora ei, qui ad mortem properat?). Eur. Alc. 543.

Destinatur autem mors a fato inter alios iis quoque, qui cum ad provectiorem aetatem pervenerint secundum leges naturae longiori vita laetari non possunt. Sic voces τοῖς μέλλουσι sc. θνήσκειν explicandae sunt.

Juvabit denique poetarum usum commemorare, quo, quanquam de una tantum persona cogitant, nihilominus tamen orationem ita componunt, ut ad complures personas referenda esse videatur, quod hic Euripides fecit dicens τοῖς μέλλουσι pro quo numero plurali, cum unam tantum Alcestidem Apollo usque ad extremam senectutem servari cupierit, numerum singularem τῇ μελλούσῃ exspectaveris. Sed trita est illa Graecorum poetarum consuetudo ponendi numerum pluralem pro singulari [6]), cujus consuetudinis causae cum permultae atque diversissimae sint, eas omnes hic affere a proposito nostro abhorret [7]).

Jam versus ex his quos protulimus octavus vulgo sic exhibetur: νέων φθινόντων μεῖζον ἄρνυμαι κλέος, quam lectionem duo tantum codices *BC* tuentur. Ceteri omnes, in iisque optimi, Scholiasta et recentiorum editorum Pflugkius, Dindorfius, Nauckius, Kirchhoffius, pro κλέος habent γέρας, quod Hermanno videtur secundae recensionis esse. Sed falsus est hac in re vir doctissimus, cum ejus suspicio nullo antiquitatis testimonio probetur neque verisimile sit, Scholiastam, siquidem Euripides fabulam suam iterum edidisset, secunde recensionis lectione in contextum recepta genuinam illam primam silentio praeteriturum fuisse. [8]).

---

[6]) cf. Matth. § 293. pag. 747—750 et § 556 not 3. pag. 1292—1294.

[7]) Arist. Rhet. 3, 6. dicit: εἰς ὄγκον τῆς λέξεως συμβάλλεται τὸ ἓν πολλὰ ποιεῖν. Long. 23. τὰ πληθυντικὰ μεγαλοῤῥημονέστερα.

[8]) Schol.: ..ὅθεν ὁ Θάνατος φησι νόμον σὺ παραβάλλῃ

Fieri autem non potuit, ut Scholiastam fugeret, poetam fabulam suam, si id verum esset, retractasse, atque ut, cum se alioquin admodum diligentem criticum praestitisset, eo tantum codice usus, qui iterum editam Alcestidem contineret, omnem existimatoris fidem negligeret, lectionem *γέρας* pro genuina nobis venditans. Itaque, cum in universum lectiones, quas Scholiastae proferunt, siquidem librorum auctoritate adjuvantur, et omnino ullo modo defendi possunt, omnibus aliis praeferendae sint, hic quoque Scholiastam et praestantissimos codices libenter sequimur. Videtur autem *κλέος* glossema esse a librario profectum, quod, cum initio in codicis margine adscriptum esset, postea ab alio librario, qui suum codicem ex eo descripsit, in contextum receptum in reliquos omnes libros, qui inde fluxerunt, irrepsit. Et voluit fortasse librarius, quod fieri solebat, doctrinam suam ostendere, minus eruditum lectorem hoc glossemate praemonitum esse cupiens, genuinam vocem *γέρας* aliud quid hic significare, atque vocabulum *γῆρας*, quod paullo supra legitur. Potuit praeterea cogitare, vocem *γέρας* eandem hic habere significationem, atque *κλέος*, cum et Orcus dixisset v. 53 *τιμαῖς κἀμὲ τέρπεσθαι δόκει* (*τιμὴ* idem fere valere, atque *κλέος* non recte statuens), et alibi voces *τιμὴ* et *κλέος* secum conjunctas apud Euripidem invenisset [9]. Itaque securus, utrum genuina esset lectio, necne, quod ei optimum visum est, id aut in margine adscripsit, aut temere in ordinem recepit.

Grave denique argumentum ad confirmandam lectionem *γέρας* hoc accedit, quod ea in hujus loci sensum melius quadrát, quam altera illa. Orcus enim pro rudibus quos ei poeta apposuit moribus profecto non

---

τοῦ πλουσίως θάπτεσθαι τοὺς ἔχοντας καὶ τοῦτο νομίζεις γέρας ἐμόν, ἐγὼ δὲ γέρας φημὶ τὸ ἐπὶ νέᾳ νεανιεύεσθαι.

[9]) cf. Andr. 774 *τιμὰ καὶ κλέος*.

de gloria cogitabat, quam, juvenem si Alcestidem ad inferos deduceret, sibi pararet, sed de commodo potius, quod inde caperet et de praemiis, quibus a Plutone hanc ob causam ornaretur. Habuit autem Orcus, ut alii Divi alias, has partes administrandas, ut inferorum regi mortuos suppeditaret, cujus officii quasi praemium hoc putabatur, ut ei in defunctorum sepulcris gaudio exsultare liceret [10]).

Ceterum dialogus Apollinem inter atque Orcum ita compositus est, ut eam explicationem, quam modo protulimus, veram esse eluceat. Nam eandem fere sententiam verbis *μεῖζον ἄρνυμαι γέρας* Orcus exprimere hic voluit, atque illis, quae paullo supra leguntur *τιμαῖς κἀμὲ τέρπεσθαι δόκει,* [11]) quae Apollo quoque sic intellexit haec ei respondens: *οὔτοι πλέον γ'ἂν ἢ μίαν ψυχὴν λάβοις*, quibus indicavit, Orcum sui commodi studiosissimum esse.

v. 70. *κοὐδ' ἡ παρ' ἡμῶν σοι γενήσεται χάρις,*
δράσεις δ'ὁμοίως ταῦτ' ἀπεχθήσῃ τ'ἐμοί.

Male exhibent libri facili literarum *δ* et *θ* permutatione *θ'ὁμοίως,* quod loci sensum minus aptum reddit; scribendum est praeeunte Hartungio *δ'ὁμοίως.* Jam omnibus codicibus, exceptis hc qui *δ'ἐμοί* tuentur, adjuti, tenemus *τ'ἐμοί,* quam lectionem Kirchhoffius sine ulla ratione in *τέ μοι* mutavit. Pessime, ut nobis videtur, Nauckius in contextum recepit *θ'ὁμοίως* et *τ'ἐμοί,* librorum hac in re, in qua saepius corrupti deprehenduntur, auctoritatem male secutus. Hac lectione enim retenta Apollinis oratio redditur languida. Paullo melius Bothius exhibuit *θ'ὁμοίως* et *δ'ἐμοί.* Sed nobis non

---

10) cf. h. f. v. 1145. Hemsterh. ad Lucia. D. D. 26, 1. Valck. ad Eur. Hipp. 106.

11) Vox *τιμὴ* sensu m u n u s legitur apud Soph. Antg. 695. Hes. O. D. 141.

liquet, cur Nauckius hos versus interpolatos esse suspicetur. Aptissime enim Apollo Alcestidem Orco vi ereptum iri praesagiens addit, eum nec gratiam a se initurum, et nihilominus tamen illud facturum esse, sibique odio fore, ad quae hoc Orci responsum v. 72 *πόλλ' ἂν σύ λέξας οὐδὲν ἂν πλέον λάβοις* necessario referendum est.

v. 77. *τί ποθ' ἡσυχία πρόσθε μελάθρων;*

Blomfieldius quique eum secuti sunt codicorum *πρόσθε* frustra in *πρόσθεν* emendaverunt. Utraque enim forma a tragicis usurpabatur, videnturque *πρόσθε* ante voces semivocali incipientes ponere amasse, nisi quod leges metricae *πρόσθεν* desiderabant [12]).

v. 79. *ἀλλ' οὐδὲ φίλων πέλας οὐδείς,*
ὅστις ἂν εἴποι πότερον φθιμένην
βασίλειαν πενθεῖν χρὴ ἢ ζῶσ'
ἔτι φῶς τόδε λεύσσει Πελίου παῖς κ. τ. ἑ.

In his versibus exhibendis libri admodum discrepant. Lectionem *εἴποι* habet unus B, *εἴπῃ* C cd ab, *ἐννέποι B*, *ἐνέποι C*; jam *βασίλειαν πενθεῖν χρὴ* legitur in BC cd ab (*B*); *βασ. χρὴ πενθεῖν* in *C*, correcto; *τὴν βασ. π. χ.* in *B*. — *τις πέλας* est in *BC* interpolatis; ceteri omnes habent *πέλας*.

Hermannus aliique in ordinem receperunt *τις πέλας*, *ἐνέποι* et *χρὴ βασ. π.*; Dindorfius autem atque Pflugkius in his versibus exhibendis optimos libros secuti sunt, sed quartum praeeunte Musuro libris invitis sic scribendum esse conjiciunt: *ἔτι φῶς λεύσσει Πελίου παῖς*. Jam Monkius pro librorum *πέλας*, *πέλας ἔστ'*, Nauckius vero *οὐ πέλας* scribendum esse putant.

---

12) Aesch. Pers. 439 *πρόσθε Σαλαμῖνος τόπων*. Hom. Il. 19, 13. 23, 877. *πρόσθε ποδὸς*. Il. 7, 224. 16, 321. *πρόσθε στέρνοιο*; sed. Od. 8, 524. Il. 21, 587. *πρόσθεν πόλιος* (metri causa). — cf. Lob. Phryn. 284.

Bothius denique unus, quod sciam, virorum doctorum, expuncto vocabulo *βασίλειαν*, quod cum sequatur *Πελίου παῖς Ἄλκηστις* explicationis speciem habeat et sine sententiae detrimento abesse possit, ejectaque voce *φῶς* Euripidem haec scripsisse suspicatur:

χρὴ πενθεῖν, ἢ ζῶσ' ἔτι λεύσσει
Πελίου τόδε παῖς Ἄλκηστις, ἐμοὶ κ. τ. ἑ.,

ubi vocem *τόδε*, quemadmodum in verbis Luciscit hoc jam apud Plautum et Terentium, *δεικτικῶς* pro luce seu coelo usurpatam esse contendit.

Equidem hunc locum, ut a praestantissimis codicibus exhibetur, sanissimum esse puto, nec ullam caussam video, cur ei medela adhibeatur.

Τις πέλας si in optimis libris legeretur, placeret; sed vocula *τις* manifesto interpolata est a librario, qui dimetrum anapaesticum acatalectum hic desiderari putabat, quod etiam Monkio et Nauckio causae fuisse videtur, cur *πέλας ἔστ'* et *οὐ πέλας* scribere suaserint. Jam Hermannus male tuetur *ἐνέποι*, quod propterea displicet, quia tragici non *ἐνέπειν*, sed *ἐννέπειν* dicere solebant, neque omnino ullum exemplum, quod sciam, apud eos exstat, quo illa nonnisi poetis epicis propria verbi forma legeretur; permulta autem, quibus haec invenitur [13]). Vox *τόδε* denique, quae in omnibus libris exhibetur, necessario tenenda est, nisi forte alicui magis placet, genuina minus verecunda manu e suo arbitrio emendare.

Versu tertio, si libris adjuvaremur, scripserimus *χρὴ βασίλειαν πενθεῖν ἢ ζῶσ'*, ut sit in eo metrum ejusdem generis, dactylus scilicet et tres spondei, quod tragici in systemate anapaestico interdum facere ama-

---

13) Aesch. Choeph. 543. Suppl. 201. 908. Soph. Aj. 751. Trach. 401. Eur. Her. F. 270.

bant; [14]) nunc vero cum plurimis optimisque libris tenemus $\beta\alpha\sigma.$ $\pi.$ $\chi\rho\tilde{\eta}$, quod sane minus probo numero dictum est, quam illud. Male Nauckius auctoritatem correcti codicis *C* amplexus exhibuit $\beta\alpha\sigma.$ $\chi\rho\tilde{\eta}$ $\pi\epsilon\nu\vartheta\epsilon\tilde{\iota}\nu$; ut, si recte vidimus, huic versui caesuram restitueret. Sed res notissima est, eam in liberioribus systematis anapaesticis ita negligi, ut interdum de industria vitari videatur, qua in re et Aeschylus et Sophocles deprehenditur.

Pessima est lectio $\tau\dot{\eta}\nu$ $\beta\alpha\sigma.$ $\pi.$ $\chi.$, quae cum metri legibus repugnet manifesto corrupta est.

Restat nunc, ut Bothii conjecturam refutemus. Ac primum voces $\beta\alpha\sigma\iota\lambda\epsilon\iota\tilde{\alpha}\nu$ et $\varphi\tilde{\omega}\varsigma$ vir doctus libris invitis temere delevit, eas hic abundare non recte contendens. Erat enim proprium veterum tragicorum, ut nonnunquam aliquid ex abundantia propterea adderent, ut oratio magis accurata atque circumscripta redderetur, cujus consuetudinis exempla passim apud eos invenimus [15]). Jam, vel si viri docti sententiae accedamus, nimis pressa fit explicatio vocis $\tau\acute{o}\delta\epsilon$, quae absolute posita sensu l u x, c o e l u m, vix unquam usurpata est [16]). Exstant fortasse exempla (quae nos non novimus, Bothius autem non attulit), quibus illa significatio videtur voci $\tau\acute{o}\delta\epsilon$ inesse; sed ea profecto ita composita sunt, ut ex alio verbo, sicuti in Terentiano illo atque Plautiano L u c i s c i t h o c, vocabulo $\tau\acute{o}\delta\epsilon$ notio l u c i s facile subintelligi possit. Hanc vim verbum $\lambda\epsilon\acute{v}\sigma\sigma\epsilon\iota$ hic

---

14) Aesch. Ag. 1561. $o\dot{v}\chi$ $\dot{v}\pi\grave{o}$ $\kappa\lambda\alpha\upsilon\vartheta\mu\tilde{\omega}\nu$ $\tau\tilde{\omega}\nu$ $\dot{\epsilon}\xi$ $o\ddot{\iota}\kappa\omega\nu$. Soph. in Inachi fr. 2. $\text{῎}I\nu\alpha\chi\epsilon$ $\gamma\epsilon\nu\nu\tilde{\alpha}\tau o\rho$, $\pi\alpha\tilde{\iota}$ $\kappa\rho\eta\nu\tilde{\omega}\nu$...

15) cf. h. f. v. 16, 18.

16) $\tau\acute{o}\delta\epsilon$ absolute positum significat: 1) hic ($\delta\epsilon\tilde{v}\rho o$, hieher), ut Hom. Il. 14, 298. 309. 24, 172. Od. 1, 409. 19, 407. 2) ideo ($\delta\iota\acute{o}\tau\iota$ darum), ut Hom. Od. 20, 217. 23, 213., nihilque amplius.

non adeo exercet, ut aliquis divinet, particulam illam sensu **c o e l u m**, **l u x** positam esse.

Vix denique Euripidem sic scripsisse puto, ut vocem *τόδε* interposito vocabulo *Πελίου* a verbo *λεύσσει*, ad quod Bothius eam refert, disjungeret, quod hyperbaton nimis esse durum atque inelegens videtur [17]).

Scribendum igitur erat viro docto conjecturam facienti *λεύσσει τόδε παῖς Πελίου*, ut particula *τόδε* continuo sequeretur verbum *λεύσσει*, cujus objectum efficit.

v. 86. *κλύει τις ἢ στεναγμὸν ἢ*
χερῶν κτύπον κατὰ στέγας κ. τ. ἑ.

Lectio *χειρῶν*, quam Nauckius libris invitis in contextum recepit, nihil nos quidem offendit, cum utraque forma, prout metrum desiderat, promiscue a tragicis usurpetur; at codicum auctoritatem sequi maluimus, quam praeter necessitatem genuina emendare.

v. 94. *HM. οὔτἂν φθιμένης γ᾽ ἐσιώπων.*
HM. νέκυς ἤδη.
HM. οὐ γὰρ δὴ φροῦδός γ᾽ ἐξ οἴκων.

Sic hunc locum Kirchhoffius ducibus et sententiarum ordine et metro antistrophae elegantissime disposuit. Nauckius vocibus *γὰρ* et *γ᾽ ἐξ οἴκων* deletis in contextum recepit *οὐ δὴ φροῦδος νέκυς ἤδη*, quae lectio et libris refragatur et in hujus loci sensum minus quadrat, continetque voculam *ἤδη*, quam, ita si hunc versum exhibes, minime desideras. Libri eadem, atque Kirchhoffius, sed alio ordine, sic exhibent: *οὐ γὰρ δὴ φροῦδός γ᾽ ἐξ οἴκων νέκυς ἤδη*; unus *B* habet *ἤδη νέκυς*, in *C* autem *ἤδη* a manu secunda expunctum est, unde vocula illa apographa carent. Bothius lectionem codicis *C* amplexus est, eandemque Dindorfius et Pflug-

---

[17]) Similiter atque hic Bothius infra quoque v. 548 non recte de hyperbato cogitabat, sic legens: *τέθνηχ᾽ ὁ μέλλων, κοὐκ ἔτ᾽ ἔστι, κατθανεῖν.*

kius tuentur, sed vocem νέκυς e conjectura deleverunt. Nosquidem verborum ordine e Kirchhoffii sententia commutato optimorum librorum lectionem tenemus; rectius enim nobis hoc fecisse videmur, quam si cum aliis viris doctis complures voces e contextu ejiceremus. Sed discedimus a Kirchhoffii opinione, voculam γάρ interpretamentum esse suspicantis, cum bene se habeat, dummodo sic legamus:

HM. οὔτἂν φθιμένης γ'ἐσιώπων —
HM. νέκυς ἤδη.
HM. οὐ γὰρ δὴ φροῦδός γ'ἐξ οἴκων.,

ut sit chemichorii oratio interrupta subintelligaturque ex verbo ἐσιώπων ad οὐ γὰρ verbum σιωπῶ. Notissimus est hic ellipticus particulae γὰρ usus. Particulam δὴ, quam non admodum hic desideras et quae librarii errore propter paullo antecedentem vocem ἤδη in codices facile irripere potuit, delendam esse putamus, ut hic versus cum antistrophico 109 ᾧ χρὴ σφε μολεῖν κατὰ γαίας aequetur.

v. 98. .... πῶς ἂν ἔρημον
τάφον Ἄδμητος
κεδνῆς ἂν ἔπραξε γυναικός;

Rectissime Kirchhoffius observavit, versu primo monometrum anapaesticum excidisse, quod nos antistropha doceret, ubi v. 111 dimeter anapaesticus acatalectus χρὴ τῶν ἀγαθῶν διακναιομένων invenitur. Hanc lacunam haud male fortasse sic expleveris: πῶς φροῦδος νέκυς.

v. 100. *XO.* Πυλῶν πάροιθε δ'οὐχ ὁρῶ
πηγαῖον ὡς νομίζεται
χέρνιβ'ἐπὶ φθιμένων πύλαις κ. τ. ἑ.

Haec plurimi iique optimi libri tuentur. Kirchhoffius duorum codicum *BC* auctoritatem secutus haud male exhibet φθιτῶν, quam lectionem, cum versui strophico 88 ἢ γόον ὡς πεπραγμένων accuratissime re-

spondeat (esset enim in stropha et in antistropha choriambus et dipodia jambica), si optimis libris adjuvaremur, libenter teneremus.

v. 105. ... οὐδὲ νεολαία
δουπεῖ χεὶρ γυναικῶν.

Sic habent libri ad unum omnes, idemque exhibet Kirchhoffius, vocem νεολαία corruptam sibi videri dicens, Dindorfius, Matthiaeus, Hermannus, qui hoc vocabulum natura sua adjectivum esse monet. Pflugkius et Nauckius e conjectura in contextum receperunt οὐ νεολαία; jam Bothius, Aldum et alias priscas editiones secutus, habet οὐ νεολαῖα, hanc vocem accusativum generis neutrius esse ratus, qui sit objectum ad verbum δουπεῖ. Vertit igitur sic hunc locum: non plangit (deplorat) manus mulierum rem novam i. e. Alcestidis mortem. Musurus deinde deleta voce χεὶρ tuetur οὐ δουπεῖ νεολαῖα γυναικῶν, vocabulum νεολαῖα substantivum esse existimans.

Scholiasta denique ad hunc locum haec dicit: νεολαία, νέα. κυρίως δὲ ὁ ἐκ τῶν νέων ὄχλος. νῦν δὲ τὴν ἀκμάζουσαν καὶ εὔτονον χεῖρα σημαίνει.

In hac tanta lectionum discrepantia difficile est divinare, quae genuina sint. Equidem persuasissimum habeo, librorum lectionem corruptam esse, quippe quae versui strophico 91 εἰ γὰρ μετακύμιος ἄτας non respondeat. Sed neque Nauckii, neque aliorum medela eam sanavit. Si id, quod adstipulante Hermanno Scholiasta dicit, verum esset, οὐ νεολαία δουπεῖ χεῖρ γυναικῶν scripserim, haec ita vertens: non strepitat juvenilis mulierum manus. At vox νεόλαιος ne invenitur quidem apud Graecos, et, si inveniretur, dicendum esset hic νεόλαιος χεὶρ, quia esset adjectivum ex νέος et λάος compositum. Itaque qui hunc locum emendaturus est, is lectionem νεολαία teneat necesse est, ut sit substan-

tivum, a quo genetivus γυναικῶν [18]) dependeat. Quid tum de voce χεὶρ statuendum sit, quae nihil habet, ad quod referatur, nobis non liquet. Scribendum est fortasse οὐ νεολαία δουπεῖ χερὶ γυναικῶν, quae verba hunc exhibent sensum: juvenes mulieres non plangunt pectora. Sed quaeritur, num δουπεῖν τι sensu plangere dici possit, quod apud posterioris aevi scriptoribus, ut apud Nonnium, interdum occurrit.

v. 114. *ΧΟ.* Ἀλλ' οὐδὲ ναυκληρίαν
ἔσθ' ὅποι τις αἴας
στείλας ἢ Λυκίας
εἴτ' ἐπὶ τὰς ἀνύδρους
Ἀμμωνιάδας ἕδρας
δυστάνου παραλῦσαι
ψυχᾶς κ. τ. ἑ.

Haud male quidem Pflugkius, Dindorfius, Nauckius, Musgravium secuti, Ἀμμωνίδας in contextum receperunt, versum 128, ut antistrophicus cum strophico aequaretur, cum Hermanno libris invitis sic exhibentes: Ἅιδα τε πυλῶνας. Sed librorum lectio Ἀμμωνιάδας et πύλας tenenda et, ut Kirchhoffius recte observavit, in antistropha inter voces τε et πύλας aliquid excidisse statuendum est. Non verisimile enim est, ut versus strophicus et qui ei respondet antistrophicus librarii errore corrumperentur. Ceterum displicet vox πυλών, quae a posterioris aevi scriptoribus, Polybio, Athenaeo, Luciano aliisque pro Atticorum πύλη usurpabatur; tragicorum autem Euripides semel, quod sciam, illo vocabulo usus est [19]).

---

18) cf. Aesch. Pers. 657 νεολαία γὰρ ἤδη κατὰ πᾶσ' ὄλωλεν. Suppl. 670. Theocr. 18. 24. νεολαία θῆλυς.

19) Cycl. 239. πυλῶνα καταβαλεῖν.

v. 134. πάντα γὰρ ἤδη τετέλεσται βασιλεῦσι
πάντων δὲ θεῶν ἐπὶ βωμοῖς
αἱμόῤῥαντοι θυσίαι πλήρεις
οὐδ' ἔστι κακῶν ἄκος οὐδέν.

Displicet nobis Kirchhoffii suspicio, hos versus sic disponendos: πάντα γὰρ ἤδη....
τετέλεσται.....
βασιλεῦσι.....
πάντων δὲ θεῶν....
ἐπὶ βωμοῖσι.. (libri: βωμοῖς) κ. τ. ἑ.
et lacunas dimidiorum fere versuum anapaesticorum accipiendas esse putantis. Nec idoneam causam videmus, cur Nauckius, ut systema anapaesticum habeat, voces τετέλεσται βασιλεῦσι, ut interpolatas, delendas esse existimet. Est enim locus sanissimus, cui nulla omnino medela adhibenda est. Constat autem versus primus ex trimetro choriambico hypercatalecto; ceteri tres sunt versus anapaestici. Quodsi unius generis metrum hic desideres, vocem ἤδη exstinguere maluerim, delendum ut versus primus ex dimetro anapaestico acatalecto constet.

v. 202. καὶ κατθανών τ'ἂν ὤλετ', ἐκφυγὼν δ'ἔχει
τοσοῦτον ἄλγος, οὔ ποτ' οὐ λελήσεται.

Haec plurimorum librorum BC abcd lectio bene se habet, eamque cum Hermanno sic vertimus: ... tanto afficitur dolore, cujus aliquando (sc. Alcestide mortua) non immemor erit. Nauckii conjectura οὔποθ' οὐ λελήσεται, quam cum Kirchhoffio in contextum recepit, nihil consequimur, sed loci sensus potius paullo depravatur. Jam Aldi, Musuri, aliorumque veterum editorum lectio δοὔποτ' ἐκλελήσεται displiceat nesesse est. Inaudita enim est crasis δοὔποτ' pro δ οὔποτ'.

v. 208. .... φθίνει γὰρ καὶ μαραίνεται νόσῳ,
παρειμένη δὲ, χειρὸς ἄθλιον βάρος.

Sic exhibent libri. Kirchhoffius praeeunte Elmslejo post versum secundum aliquid excidisse observavit.

Sed nihil ad explendam sententiam desideratur, dummodo pro librorum δὲ, quae particula hic displicet, cum Hermanno legamus δή; saepenumero enim δὲ et δή confunduntur. Pessime Dindorfius legit γε, quod vix defendi potest.

v. 212. ὡς οὔποτ' αὖθις, ἀλλὰ νῦν πανύστατον
ἀκτῖνα κύκλον θ' ἡλίου προσόψεται.

Hos versus duce Valckenaerio, ut ex Hecubae vv. 411 et 412 in libris male insertos, alii proscripserunt, alii uncis incluserunt. Equidem vereor, ne nimio versus spurios indagandi studio genuina sublecta esse statuamus. Solet enim Euripides, ipso Valckenaerio teste, sententias iisdem aut paene iisdem verbis expressas non modo in diversis fabulis, sed etiam in una eademque fabula repetere. Ceterum non verisimile est, ut hi versus omnibus in libris, qui ex variis codicibus descripti sunt, miro quodam casu interpolarentur [20].

v. 226. ΧΟ. ὦναξ Παιάν,
ἔξευρε μηχανάν τιν' Ἀδμήτῳ κακῶν,
πόριζε· δὴ πόριζε καὶ πάρος γὰρ
τοῦδ' ἐφεῦρες, καὶ νῦν
λυτήριος ἐκ θανάτου γενοῦ,
φόνιον δ' ἀπόπαυσον Ἅιδαν.

Sic libri; sed versu quarto C exhibet τοῦτ', b τῶν δ'. Dindorfius adstipulante Kirchhoffio voces τοῦδ' ἐφεῦρες καὶ vetustum glossema esse ratus omnibus libris invitis proscripsit. At sententiae fulciendae causa hae voces adeo desiderantur, ut iis omissis loci sensus aut claudicaret, aut certe inaudita brevitate laborans obscurus fieret. Itaque nihil delendum aut mutandum est, nisi forte cum C τοῦτ' legere malis. Bothius praeeunte Heathio, nullius libri auctoritate adjutus, male in contextum recepit τῷδ'.

---

20) cf. quae disputavimus ad h. f. v. 328.

v. 260. *ΑΛ.* *ὁρῶ δίκωπον, ὁρῶ σκάφος*
ἐν λίμνᾳ· νεκύων δὲ πορθμεὺς
ἔχων χέρ' ἐπὶ κοντῷ Χάρων μ' ἤδη καλεῖ·
τί μέλλεις;
ἐπείγου· συ κατείργεις
τάδ' ἕτοιμα σπερχομένους ταχύνειν.

Quibus Musuro et Aldo multi editores voces *ἐν λίμνᾳ*, quae metrum turbarent, omnibus libris invitis proscripserunt. Sed hic nihil delendum est; in antistropha autem, cum versus antistrophicus strophico non respondeat, ante *νεκύων ἐς αὐλὰν* monometrum anapaesticum excidisse elucet. Verisimilius enim est, librarios in antistropha aliquid errore omisisse, quam in stropha ea interpolasse, quae, si deessent, non desiderarentur, et metrum corrumperent. Itaque versu secundo omnia sana sunt.

At vexatissima est lectio versus quinti et sexti, cum ab aliis libris aliter exhibeantur. — *τάδε τοι με* habent Ba, *τάδε τί με* Cbc, *τάδ' ἕτοιμα BC*, *τάδε τοῖά με* d. Veteres editiones et Scholiasta habent *σὺ κ. τάδ' ἕτοιμα σπερχόμενος ταχύνει*; jam Matthiaeo placuit *σύ κ. τάδε. τοῖά με σπερχόμενος ταχύνει*; Monkius deinde legit *σὺ κ. τάδε. τοῖα σπερχόμενος ταχύνει*; Hermannus denique tenet *σῦ κ. τάδ' ἕτοιμα σπερχομένοις τάχυνε*; Kirchhoffius postremo et Nauckius exhibent *σὺ κατείργεις. τάδε τοί με σπερχόμενος ταχύνει.*

In hac tanta lectionum discrepantia difficile est divinare, quae genuina sint. Nosquidem e libris *BC* cum Bothio eam lectionem tenemus, quam supra exhibuimus; sed hujus loci et structuram et sensum longe alium esse accipimus, atque vir doctus statuit.

Alcestis enim in scenam prodiens primum solem, terram, domum denique regiam, Admeti precibus, ne se deserat, interpellata, ultimum alloquitur. Jam, con-

timuo se de vita decessuram esse praesentiens, in animi, ut ita dicam, ἐκστάσει, videre se Charontem putat, quem cunctantem ad festinationem adhortatur (τί μέλλεις; ἐπείγου!). Tum — haec est nostra loci explicatio — ad Admetum orationem suam convertit eumque compellat, quod se festinantem prohibeat (sc. lamentis, quae effudit vv. 258, 9.), quominus ea acceleret, quae jam parata sunt. Itaque Alcestis, conjugis precibus, ne se deserat, commota, uno eodemque fere tempore mortem suam et retardare et, cum eam fatalem sibi esse sciat (τάδ' ἕτοιμα), accelerare cupit. Graecorum igitu rverborum ordo erit hic: σὺ (sc. Ἄδμητε) κατείργεις σπερχομένους (sc. ἡμᾶς i. e. Ἀλκήστιδα) ταχύνειν τάδ' ἕτοιμα (i. e. ταχ. τὸν ἕτοιμον θάνατον). Male eam lectionem, quam nos tuemur, Bothius sic vertit: tu retardas haec, parata ad accelerandum festinantes. Quaeritur enim, quidnam sit το haec, qua vocula, per se sumpta, quid Alcestis significare voluerit, non elucet. Quodsi vero, ut fecimus, vocem τάδε cum adjectivo ἕτοιμα jungis, licet te ex his duobus vocabulis notionem mors fatalis elicere [21]).

Laborat fortasse corruptela hic locus, quem haud male sic emendaveris: σὺ κατείργεις τάδ' ἕτοιμα. σπερχομένους τάχυνε, quod vertas: tu (se. Admete) retardas ea, quae parata sunt (i. e. mortem mihi fatalem); tu (sc. Charon) festinantes (sc. de vita decedere) accelera. Tota enim Alcestidis oratio hic esse confusa atque abrupta videtur.

v. 268. ΑΛ. Ἄγει μ' ἄγει μέ τις, οὐχ ὁρᾷς;
..... νεκύων ἐς αὐλὰν
ὑπ' ὀφρύσι κυαναυγέσι βλέπων πτερωτὸς Ἅιδας.

---

[21]) cf. Hom. Il. 18, 96. πότμος ἕτοιμος. ibid. 9, 425. μῆτις ἑτοίμη. Eur. Or. 1105. πῶς; τὸ γὰρ ἕτοιμόν ἐστιν, εἴ γ' ἔσται καλῶς.

Kirchhoffius recte quidem ante voces νεκύων ἐς ἀὸλλὰν lacunam statuit, quod nos versus strophicus 261 docet. Sed male idem vir doctus versu tertio libris invitis κυανανγὲς scripsit, in versu strophico 262, qui huic respondet, codicum χέρ' in χεῖρ' emendans. Hac duplici emendatione non opus est; librorum lectione enim retenta sanissimum habemus et sensum et metrum.

v. 322. καὶ παῖς μὲν ἄρσην πατέρ' ἔχει πύργον μέγαν
ὃν καὶ προσεῖπε καὶ προσερρήθη πάλιν.

Manifestum exemplum habemus, quantopere viri docti versus spurios indagandi modum interdum excedant, cum hic versum secundum contra omnes libros interpolatum esse censeant, haud memores, omne cautionis genus hae in re adhibendum, neque quidquam, nisi firmissimis argumentis a poeta non potuisse proficisci demonstretur, delendum esse. Duce Piersono Monkius, Wüstemannus, Dindorfius, Nauckius aliique versum illum e contextu ejecerunt, nullis judicii sui damnatorii causis allatis, nisi quod sublectus esse videatur ex h. f. v. 200; alii vero, ut Bothius et Kirchhoffius, uncis eum incluserunt propter eandem causam et, quod ille vir doctus profert, quia tempora verborum προσεῖπε et προσερρήθη tempori verbi ἔχει non respondeant. Sed vereor ne illi viri docti aut leviter ac temere egisse, quod a criticis illis abhorret, aut causas quasdam prorsus nobis ignotas habuisse videantur. Duplex enim est genus versuum spuriorum, quorum alii ab histrionibus, alii autem a librariis interpolati sunt. Quodsi igitur histrionibus illum versum tribuimus, elegantiorem eos, qui tragicorum fabulis discendis cognoscendisque versatissimi erant, interpolationem facturos fuisse putamus; sin autem librariis, causae, cur id faciamus, proferendae atque accuratius examinandae sunt. Nam quod eadem fere verba, atque hic, h. f. v. 200 quoque leguntur, id nihil ad rem; exstant enim exempla, quibus

repetitiones inveniuntur, quae revera minus placent[22]; quia uni eidemque personae adsignantur. Hoc vero in nostrum locum non cadit, cum versus 200 a servo, hic autem ab Alcestide pronuntietur. Ceterum verba ὃν καὶ προσεῖπε καὶ προσεῤῥήθη πάλιν propterea tenenda sunt, ut sint explicatio vocis πύργος, quae, quantum sciam, tralate usurpata apud tragicos nusquam invenitur, et omni descriptione destituta nimis audacter posita esse videtur[23]).

Levissimum autem est Bothii argumentum, quod hic tempora confusa inveniuntur; res enim notissima est, poetas aliosque scriptores temporum rationem saepenumero in una eademque enunciatione negligere[24]).

v. 343. *οὐκ ἔστιν οὕτως οὔτε πατρὸς εὐγενοῦς*
οὔτ' εἶδος ἄλλως εὐπρεπεστάτη γυνή.

Nauckius nullis argumentis allatis hos versus omnibus libris invitis spurios esse suspicatur. Equidem hujus suspicionis causam non video, praesertim cum ea verba in Admeti orationem optime quadrent, ita ut, si deessent, admodum ea desiderares. Apte enim Admetus Alcestidem jam jam morituram asseverat, nullam Thessaliae mulierem ut sponsam a se allocutum iri; nul-

22) cf. Eur. Phoen. 97 et 145. Utroque loco haec leguntur: *σπονδὰς δτ' ἦλθον σῷ κασιγνήτῳ φέρων.* h. f. v. 433. *ὡς πᾶσιν ἡμῖν κατθανεῖν ὀφείλεται* et v. 794. *βροτοῖς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται.* Teste Valckenaerio sunt quoque plures versus repetiti in Euripidea Medea.

23) Falso comparant cum nostro loco nonnulli viri docti ea, quae leguntur apud Soph. Aj. 159. *σμικροὶ μεγάλων χωρὶς σφαλερὸν πύργου ῥῦμα πέλονται*; hic enim vox *πύργος* propria significatione usurpata est.

24) cf. Soph. Antg. 348 et 356. *κρατεῖ... ὑπάξεται... ἐδιδάξατο.* Pl. Rep. VI. p. 495 C. *ζῶσι... ἤσχυναν... περιῆψαν.* Ceterum cf. Hoog. ad Vig. p. 210 et Zeune ad Vig. p. 212.

lam enim aut ita nobilem, aut ita formosam virginem esse, atque Alcestidem.

v. 401. *ΑΔ.* βλέψον πρὸς αὐτοὺς βλέψον. *ΑΛ.* οὐδέν εἰμ' ἔτι.
ΑΔ. τί δρᾶς; προλείπεις; *ΑΛ.* χαῖρ'. *ΑΔ.* ἀπωλόμην τάλας.

Recte quidem vidit Kirchhoffius verbum προλείπειν sensu prodere absolute usurpari non posse; sed male hoc loco post προλείπεις minutioribus literis με exhibuit, quae vocula quanquam a libris tenetur, quia metrum turbat, manifestum est librarii additamentum. Sanissima sunt ea, quae deleta voce με in libris leguntur, dummodo ad προλείπεις ex versu primo αὐτοὺς subintelligatur. Multo pulcrius enim est, Admetum de liberorum potius quam de sua ipsius salute sollicitari.

v. 404. *ΕΥ.* Ἰώ μου τύχας. μαῖα δὴ κάτω
βέβακεν, οὐκέτ' ἔστιν, ὦ
πάτερ, ὑφ' ἁλίῳ.
προλιποῦσα δ' ἀμὸν βίον
ὠρφάνισεν τλάμων.

Haec libri consensu exhibent; sed bcd habent ἰώ μοι δὴ τύχας; C ἰώ μοί μοι, C ἰώ μοι δὲ, B βέβηκεν, BCcd. ἡλίῳ. Equidem optimis libris invitis cum Bothio et Nauckio scribere malui ἁλίῳ, cum hoc carmine melico formae doricae ubique inveniantur. Sed Bothius voces δ' ἀμὸν βίον ὠρφάνισεν τλάμων interpolatas esse censuit, sic argumentatus: Haec verba, quibus nihil respondet in antistropha, ab eo addita videntur, qui προλιποῦσα per se dici non posse existimaret, quamvis modo legisset v. 402. προλείπεις eodem sensu. Adscripsit igitur δ' ἀμὸν βίον ὠρφάνισεν sublecta illla h. f. v. 373 et 286, etiam τλάμων, quod ubique legerat in tragoediis, cum incipere vellet, ut opinor, jambicum sena-

rium. Admodum miror, quod vir doctus tanta eruditione ad suam sententiam comprobandam usus est. Nam primum nulla idonea est causa, cur librarius aut histrio hoc loco versum interpolaverit, cui in antistropha nihil respondet. Jam multo verisimilius est, librarium illa verba, quamvis hic desiderentur, omissurum fuisse, ut stropha cum antistropha aequaretur. Ceterum admodum exquisita est Bothii suspicio, hunc versum sic interpolatum esse existimantis, ut interpolatori vocabulum *βίον* e versu 373, verbum *ὠρφάνισεν* autem e versu 286, vox *τλάμων* denique ex multis illis locis, quibus eam invenit, obversaretur. Quodsi enim in judicio faciundo, utrum versus sint genuini, an subditicii, ita semper institueremus, permultos in veterum fabulis nos inventuros esse persuasum habemus, qui a poeta abjudicandi essent. Huc accedit, quod verbum *προλείπειν* sensu *προδοῦναι* sine accusativo a Graecis non usurpabatur [25]). Itaque versus, quem tractamus, genuinus est, nisi forte, si omnino hic conjicere licet, legere malis *προλιποῦσα δ' ἄμμε, βίον ὠρφάνισεν τλάμων*, ut vox *ἄμμε* ad verbum *προλιποῦσα*, vocabulum *βίον* autem ad vocem *ὠρφάνισεν* referatur [26]), quae sic vertas: et nos (= me) deserens orbos reddidit misera. Sed librorum potius lectio ita tenenda est, ut voces *ἀμὸν*

---

[25]) Male provocat Bothius ad h. f. v. 402. *τί δρᾷς; προλείπεις;* cf. quae ad h. l. supra disputavimus. Alia autem est ratio loci Thucyd. II, 87. *εἴ τῳ προλίποι ἡ ῥώμη καὶ τὸ σῶμα*, ubi verbum *προσλείπειν* sensu deficere positum est. cf. Eur. Or. 817.

[26]) Similiter usus est aeolica forma *ὔμμε* pro *ὑμᾶς* Soph. Antg. 837 *ξυμμάρτυρας ὔμμ' ἐπικτῶμαι*... Forma *ἄμμε* invenitur apud Hom. Il. 1, 59. 7, 292. Pind. Ol. 9, 114. Theocr. 8, 25. 29, 2. — *ὀρφανίζειν βίον* habet Soph. Trach. 942, ubi pro vulgata lectione *ὠρφανισμένος βίου* e Wakefieldi conjectura *ὠρφ. βίον* exhibendum est.

βίον cum verbis προλιποῦσα et ὠρφάνισεν, quorum neutrum accusativo carere possit, conjungantur.

Si denique hujus loci sensum examinas, pulcherrime profecto poeta Eumelum, puerum, hac de re querimonias effundentem in scenam producit, quod matre amissa orbus fiat, qui a patre, viro gravioribus rebus occupato, non adeo magnam sui curam amplius sperare possit.

Quomodo antistrophae lacuna explenda sit, nobis non liquet; sed cum Kirchhoffio persuasum habemus, inter voces σύγκασι et κούρα aliquid excidisse. Nauckius duce Hermanno versus antistrophicos 421. 22. libris invitis male sic exhibet: ἐγὼ ἔργα... σύ τε,
σύγκασι μοι κούρα,
inter voces ἔργα et σὺ lacunam indicans.

v. 412. ΕΥ. ὑπάκουσον, ἄκουσον, ὦ
μᾶτερ, ἀντιάζω σ'.
ἐγώ, μᾶτερ, ἐγὼ
καλοῦμαι σ' ὁ σὸς ποτὶ σοῖσι πί-
τνων στόμασιν νεοσσός.

Hanc lectionem tuentur BC bcd; ἀντιάζω ἐγὼ σ' ἐγὼ μᾶτερ καλοῦμαι exhibent *BC*. Est locus vexatissimus, quem frustra alii viri docti aliter tentabant, nam ex multis illis conjecturis, quae excogitari possunt, nulla idoneis argumentis probari potest. Nauckius praeter necessitatem inter voces ἐγὼ et καλοῦμαι, ubi sententiae explendae causa nihil desideratur, lacunae signa posuit. Equidem ab omni correctura hic abstinendum esse putans optimorum plurimorumque librorum lectionem, cum genuina lateat, tenere malui. Hoc tamen certe constat, voculas νῦν γε, quas Aldus ante verbum καλοῦμαι exhibet, metri causa fortasse a Musuro, qui hac in re saepius deprehenditur, interpolatas esse; omnes enim codices eas ignorant.

v. 439. *Αλ.* πᾶσιν δὲ Θεσσαλοῖσιν ὧν ἐγὼ κρατῶ
πένθους γυναικὸς τῆσδε κοινοῦσθαι λέγω
κουρᾷ ξυρήκει καὶ μελαγχίμοις πέπλοις.

In his versibus exhibendis libri admodum inter se dissentiunt. *πένθους* habent Bb; *πένθος*, ut videtur, ceteri, certe *C*; *μελαγχείμοις πέπλοις* BC, *μελαγχίμοις πέπλοις* bcad, *μελαμπέπλῳ στολῇ BC*. — *θέλω* pro *λέγω* habent bcd. Bothius atque Matthiaeus plurimis, sed deterioribus libris adjuti exhibent *πένθος*. Hic docet nos insuper, verbum *κοινοῦσθαι* alibi quoque apud Euripidem cum accusativo positum esse. Sed erravit hac in re vir doctissimus, cum longe alia, atque nostri, eorum locorum sit ratio, quibus haec constructio invenitur [27]. Ubi vero poeta verbo *κοινοῦσθαι* sensu p a r t i c i p e m e s s e usus est, omnes codices aut genetivum, aut etiam, quanquam rarissime, dativum tuentur, qui cum *κοινοῦσθαι* jungitur [28]. Itaque optimi libri Vaticani et Florentini Vossii lectio *πένθους* alteri praeferenda est. Facile enim fieri potuit, ut librarius syllabas *ους* et *ος*, quod saepenumero fieri solebat, confunderet, praesertim cum vox *γυναικὸς*, quae vocabulum *πένθος* continuo sequitur, in eandem syllabam exiret.

Multo difficilior est quaestio, utrum *μελαμπέπλῳ στολῇ*, quod vulgo exhibetur, an *μελαγχείμοις πέπλοις*, an denique *μελαγχίμοις πέπλοις* genuinum sit. Nobis ultima lectio, quanquam deteriorum est codicum, maxime tamen arridet. Nam prima ex his, quas modo protulimus, manifesta laborat corruptela. Vox *μελάμ-*

[27]) Provocat Matth. ad Eur. Jon. 618. *ἡ κοινουμένη τὰς συμφοράς σοι πρόσθεν*, sed hic dixit poeta *κοινοῦσθαί τινί τι*, quod idem est atque *κοινὸν ἔχειν τινί τι*. — Soph. Antg. 537 et Aesch. Ag. 1318 positum est verbum *κοινοῦσθαι* cum accusativo sensu c o m m u n i c a r e aliquid cum aliquo.

[28]) cf. Eur. Phoen. 1708. Andr, 38. 217. 935. Cyclops 684.

πεπλος enim jam per se eum significat, qui sordida veste indutus est, atque hoc tantum sensu a tragicis esse usurpata videtur [29]. Quodsi igitur Euripides μελαμπέπλῳ στολῇ dixisset, haec locutio pleonasmum contineret, qui displicet. Huc accedit, quod nullum exemplum apud eum invenimus, quo μελάμπεπλος στολὴ exhiberetur; nec omnino vocem στολὴ, sed vocabulum στολμὸς, Euripides ponere amat. Magis denique, cum de pluribus personis (Thessalis) sermo sit, arridet hic numerus pluralis, ut, qua in re Graeci accuratiores erant, quam nos recentiores, Admeti verba ita intelligantur, eum u n u m q u e m q u e Thessalum sordidam vestem induere jussisse.

Jam lectio μελαλχειμοις πέπλοις, quam Kirchhoffius tuetur, propterea displicet, quia Graeci formam μελάγχειμος vix unquam usurpabant. Continet autem, si recte quid vidimus, librarii emendationem, qui cum de substantivo χεῖμα cogitaret μελαγχείμοις scribendum esse putabat.

Itaque tenendum est cum Nauckio μελαγχίμοις πέπλοις, quod alibi quoque apud Euripidem occurrit [30]. Displicuit fortasse librario minus usitata vox μελάγχιμος, quam ter, quod sciam, Euripides, terque Aeschylus, nunquam Sophocles usurpavit [31]), quapropter eam in μελάμπεπλος commutavit, qua commutatione facta, ne duae voces unius radicis essent, pro genuina lectione μελαγχίμοις πέπλοις exhibuit μελαμπέπλῳ στολῇ.

---

[29]) cf. Eur. Jon. 1135, μελάμπεπλος Νύξ et h. f. v. 855, siquidem vulgatam lectionem ἄνακτα μελάμπεπλον tenes, pro qua Wakefieldus edidit ἄνακτα μελάμπτερον.

[30]) cf. Eur. Phoen. 375 κάρα ξυρηκὲς καὶ πέπλους μελαγχίμους ἔχουσαν.

[31]) Eur. Phoen. 375. Rhesus 965 et h. f. v. 441. Aesch. Pers. 298. Choeph. 11. Suppl. 700.

Potuit etiam accidere, ut haec verba, quae explicationis causa a librario in codicis margine adscripta erant, postea in contextum irreperent.

v. 446. οὐ γάρ τιν' ἄλλον φίλτερον θάψω νεκρὸν
τοῦδ' οὐδ' ἀμείνον' εἰς ἔμ'· ἀξία δέ μοι
τιμᾶν, ἐπεὶ τέθνηκεν ἀντ' ἐμοῦ, λίαν.

BC habent τιμῆς; ceteri, ut videtur, omnes τιμᾶν; μόνην pro λίαν tuentur Bd, quod manifesto corruptum est, cum verbum τιμᾶν pro τιμᾶσθαι hic positum, nominativum desideret; *BC* exhibent μόνη, Ca denique λίαν.

Nauckius amplexus est lectionem τιμᾶν et μόνη; Kirchhoffius autem τιμᾶν legit, sed in medio relinquit, utrum μόνη an λίαν tenendum sit, antiquam hanc esse varietatem dicens, quam pepererit aliquando omissa describentis errore vox finalis bisyllaba. Bothius minus recte in contextum recepit τιμῆς. Equidem genuinum esse puto λίαν, quod in hujus loci sensum optime quadrat. Dixit enim Admetus, uxorem dignam esse quae admodum coleretur, quia pro se mortem suscepisset. Lectio μόνη, si eam cum τιμᾶν jungis, pravum reddit sensum, nam alii quoque profecto erant, quos Admetus qui colerentur dignos habuit; sin autem cum verbo τέθνηκεν, regem amore sui plenissimum fuisse significaret, quod displicet.

v. 459. Πολλά σε μουσοπόλοι
μέλψουσι καθ' ἑπτάτονόν τ' ὀρείαν
χέλυν ἔν τ' ἀλύροις κλείοντες ὕμνοις,
Σπάρτᾳ κύκλος ἀνίκα Καρνείου περινίσσεται
ὥρα κ. τ. ἑ.

Sic hunc locum omnes libri consensu pessime exhibent; praeterea περινίσεται tuentur bcd, περινείσεται *B*, quorum utrumque manifesto corruptum est.

Dindorfius atque Nauckius pro librorum κλείοντες

duce Elmslejo recte scripserunt *κλέοντες*[32]), ut antistropha accuratissime responderet strophae, ubi v. 451 legitur *τὸν ἀνάλιον οἶκον οἰκετεύοις*; sic enim in utraque monometrum anapaesticum et tripodiam jambicam catalecticam habemus. Ceterum spondeus, qui continetur verbo *κλείοντες*, jamborum initiis non convenit. Jam Scaligeri lectio *κυκλὰς*, quam Barnesius, Hermannus, Nauckius in contextum receperunt, displicet. Languet enim locutio *κυκλὰς ὥρα περινίσσεται* et verbum *περινίσσεται* accusativo caret, quem desideras. Optimam medelam huic loco adhibuit Kirchhoffius, duce Hesychio librorum *ὥρα* in *ὥρας* emendans, qua levi correctura et sententia elegantior fit et illud verbum objectum habet.

v. 469. *XO. Εἴθ' ἐπ' ἐμοὶ μὲν εἴη,*
δυναίμαν δέ σε πέμψαι
φάος ἐξ 'Αΐδα τεράμνων
Κωκυτοῦ τε ῥεέθρων
ποταμίᾳ νερτέρᾳ τε κώπᾳ.

Hos versus libri maxima discrepantia exhibent. *Καὶ Κωκυτοῦ τε ῥεέθρων* habet B, *Κωκυτοῦ τε ῥεέθρων* C, *καὶ Κωκυτοῖο ῥείθρου C*, *Κωκυτοῦ τε ῥείθρων* a, *καὶ Κωκυτοῖς ῥεέθρων B*.

Recte observavit Kirchhoffius, lectiones codicum C*CB*a correcturas esse libri Vaticani, qui ipse quoque corruptela laborat, cum voces *καὶ* et *τε* male positae sint. Exhibuit autem vir doctissimus ea, quae in B leguntur, ab omni emendatione propter antistrophae lacunam hic abstinendum esser atus. Aliter hac de re censuit Hermannus, qui versum tertium, cui nihil in antistropha responderet, primum male pro spurio ha-

---

[32]) *κλέω* pro vulgari *κλείω* legitur apud Eur. Iph. A. 1046. *κλέουσαι*. — Passivum *κλέομαι* apud Homerum, Pindarum aliosque scriptores passim occurrit.

buit; postea vero sententia mutata *Κωκυτοῦ ῥείθρων* scribens lacunosam putabat antistropham. Jam Bothio nihil aliud ille versus esse videbatur, nisi explicatio verborum *ποταμίᾳ νερτέρᾳ τε κώπᾳ*, quapropter eum delevit. Vulgus denique editionum aut omnibus libris invitis *καὶ Κωκυτοῖο ῥεέθρων*, aut cum codice a *Κωκυτοῦ τε ῥείθρων* exhibet.

Atque Hermanni lectio cum et contra libros sit, et, quia cum verbis *ποταμίᾳ νερτέρᾳ τε κώπᾳ* jungitur, languidam, ut recte Bothius animadvertit, eorum explicationem contineat, displiceat necesse est. Offendit nos praeterea forma contracta vocabuli *ῥείθρων*, quam Euripides usurpare non solet; etenim unum tantum, quod sciam, exemplum apud eum exstat, quo ea invenitur [33]).

Equidem cum Nauckio lectionem *Κωκυτοῦ τε ῥεέθρων* teneo, quae cum verbis *ἐξ Ἀΐδα τεράμνων* juncta in hujus loci sensum optime quadret. Chorus enim haec dixisse videtur: u t i n a m t e e x P l u t o n i s a e d i b u s e t C o c y t i f l u c t i b u s a d s u p e r o s r e d u c e r e p o s s e m, quod ita intelligimus, ut in reducenda Alcestide duplicem videat difficultatem, eam scilicet regi inferorum omnino eripiendi et cum erepta Cocytum, qui Thesprotiae fluvius cum tribus aliis pro Orci finibus habebatur, feliciter trajiciendi.

Quid in antistropha inter versum 483 et 484 exciderit, difficile est conjectura probare. Excidit fortasse similis sententia ac quae h. f. v. 301. 2. legitur *καλῶς μὲν αὐτοῖς κατθανεῖν ἦχον*, quae quomodo hic exprimenda sit, ne metrum turbetur, nobis non liquet.

---

[33]) Eur. El. 799. *ποταμίων ῥείθρων ἄπο.* — Male Blomfieldus Aesch. Ag. 208. exhibet *ῥείθροις*, bonam Aldi et Robertelli lectionem *ῥεέθροις* emendaturus.

v. 492. *HP.* ξένοι, Φεραίας τῆσδε κωμῆται χθονός,
Ἄδμητον ἐν δόμοισιν ἆρα κιχάνω;

Kirchhoffius et Nauckius pro librorum κιχάνω exhibent κιγχάνω. Sed eam correcturam metrum hic non desiderat, cum in eo verbo litera ι apud Atticos longa sit. Alius est sane Homeri usus, qui ι hic corripit, α autem producit. Ceterum formae κιχάνω et κιγχάνω a tragicis promiscue usurpabantur [34]), quapropter librorum lectio tenenda est.

v. 542. *HP.* ἄ, μὴ πρόκλαι' ἄκοιτιν· εἰς τόδ' ἀναβαλοῦ.
ΑΔ. τέθνηχ' ὁ μέλλων κοὐκέτ' ἔσθ' ὁ κατθανών.

Sic optimi codices BC hunc locum exhibent; in *B* autem legitur τέθνηκεν ὁ| μέλλων καὶ ὁ θανὼν οὐκ ἔτ' ἔστιν, quae lectio manifesto corrupta est. *C* habet τέθνηχ' ὁ μέλλων χὠ θανὼν οὐκ ἔστ' ἔτι, quod veteres editiones in contextum receperunt.

Recentiorum fere omnes viri docti eam, quam supra protulimus, lectionem amplexi sunt; sed Wakefieldius e conjectura sua εἰς τότ', et Bothius atticam formam πρόκλα', quae hic insuavem hiatum efficit, male praetulerunt. Hic praeterea versum secundum conjectura tentabat haec argumentatus: Verum et frigidum est, mortuum eum dicere, qui non sit amplius, et sibi non constat Admetus, defunctam nunc significans Alcestidem, quam modo in eo esse dixit, ut e vita exeat. Quare locus pro corrupto habendus est, quem sic emendem: τέθνηχ' ὁ μέλλων, κουκέτ' ἔστι, κατθανεῖν. Hyperbaton nescio quis non capiens mutavit. Magis affirmare Graeci aliquid solent negando contrario. At hic locus sanissimus est, dummodo ejus sensus recte intelligatur. Admetus enim

---

[34]) κιχάνω legitur apud Soph. O. C. 1451; Aesch. Choeph. 613, et passim.

haec verba sua: διπλοῦς ἐπ' αὐτῇ μῦθος ἔστι μοι λέγειν et ἔστιν τε κοὐκ' ἔτ' ἐστὶν, Herculi plane obscura, ita ei explicare voluit, ut intelligeret, Alcestidem, quanquam nondum mortua esset, cum tamen mortem fatalem nullo modo evitare posset, eodem jure in mortuis numerandam esse, ac si jam de vita decessisset. Quam sententiam paullo ambigua, ut antea, usus oratione, in universum sic expressit: τέθνηχ' ὁ μέλλων, κοὐκέτ' ἔσθ' ὁ κατθανών, quod vertas: mortuus est is, cui moriendum est (i. e. cui mors fatalis est), sicuti qui jam de vita decessit, is amplius non est [35]. Comparat igitur Admetus conditionem τῶν ἀνάγκῃ κατθανουμένων cum conditione τῶν κατθανόντων, quam unam eandemque esse dicit. Sic omnia bene se habent, atque ipse Admetus, se ab Hercule ita intelligi voluisse, jam versu 541 significavit dicens πῶς οὖν ἔτ' ἔστιν, εἴπερ ᾔνεσεν τάδε (sc. ἀντ' ἐμοῦ κατθανεῖν). Itaque Bothii conjectura non probatur, cum et minus aptum exhibeat sensum, et hyperbaton illud durum esse videatur. Magis fortasse, si omnino hic conjicere licet, placebit τέθνηχ' ὁ μέλλων, κοὐδὲν ἔσθ' ὁ κατθανών [36].

v. 562. *ΑΔ.* οὐκ ἔστιν ἄλλου σ' ἀνδρὸς ἑστίαν μολεῖν.
ἡγοῦ σύ, τῶνδε δωμάτων ἐξωπίους
ξενῶνας οἴξας κ. τ. ἑ.

Malim cum Fixio et Kirchhoffio pro librorum τῶνδε unius codicis Parisini lectionem τῷδε, ut cum vocabulis ἡγοῦ σὺ jungatur. Hic enim desideras, ut famulus intelligat, cui praeire ab Admeto jubeatur. Ceterum lectio τῶνδε δωμάτων languet, et Admeti oratio-

---

[35]) Similiter dixit Soph. Oed. R. 612. ὡς ὑμᾶς ἴσα καὶ τὸ μηδὲν ζώσας ἐναριθμῶ.

[36]) cf. h. f. v. 392. χρόνος μαλάξει σ', οὐδὲν ἔσθ' ὁ κατθανών.

nem hac in re accuratiorem reddit, in qua id non requiritur.

v. 570. *ΑΔ.* *ἀλλ' εἰ δόμων σφε καὶ πόλεως ἀπήλασα*
ξένον μολόντα, μᾶλλον ἄν μ' ἐπήνεσας;
οὐ δῆτ', ἐπεί μοι συμφορὰ μὲν οὐδὲν ἂν
μείων ἐγίνετ' ἀξενώτερος δ' ἐγώ.

Nauckius aliique contra optimum codicem B e deteriori C *ἐγίγνετ'* male in contextum receperunt. Forma *γίνομαι* enim quanquam inde ab Aristotelis temporibus demum usurpata esse videtur et teste Moeride vulgari tantum sermoni, a quo attici scriptores abhorrerent, propria erat, jam in Atheniensium inscriptionibus invenitur et Herodoti temporibus saepius nobis occurrit.

v. 580. *ΑΔ.* *οὐκ ἄν ποτ' ἠθέλησεν εἰσελθεῖν δόμους,*
εἰ τῶν ἐμῶν τι πημάτων ἐγνώρισε.
Καί τῳ μὲν, οἶμαι, δρῶν τάδ' οὐ φρονεῖν δοκῶ,
οὐδ' αἰνέσει με. κ. τ. ἑ.

Ducibus Heathio et Marklando Kirchhoffius bene exhibet *τῳ* (*=τινί*). Displicet autem Bothii, Nauckii aliorumque lectio *τῷ*, cum haec vocula, sive eam pro *τούτῳ* (sc. *Ἡρακλεῖ*), quae est Hermanni sententia, sive pro *διὰ τοῦτο* positam esse credas, hujus loci sensum minus aptum reddat.

v. 601. *ΧΟ.* *Τοίγαρ πολυμηλοτάταν*
ἑστίαν οἰκεῖ παρὰ καλλίναον
Βοιβίαν λίμναν. κ. τ. ἑ.

Haec omnes libri tuentur praeter optimos BC, qui habent *τοίγαρ τοι*, quod Kirchoffius amplexus est. Sed vocula *τοι*, cum eam hic non requiras, propter modo antecedens vocabulum *τοίγαρ* librarii errore in codices irrepsisse videtur. Huc accedit, quod illa voce deleta versus strophicus cum antistrophico 609 *καὶ νῦν δόμον ἀμπετάσας* aequatur; nisi forte cum Kirchhoffio *τοι*

tenere et in antistropha inter voces καὶ et νῦν, ubi nihil desideratur, lacunam accipere malis.

v. 645. σὺ δ'ἐκποδὼν στὰς καὶ παρεὶς ἄλλῳ θανεῖν
νέῳ γέρων ὢν τόνδ' ἀποιμώζεις νεκρόν;

Sic hunc locum exhibent BC; sed ἀποιμώξῃ legitur in *C*; ἀποιμώζῃ in abcd, ἀποιμώξεις denique in *B*, quorum utrumque manifesto corruptum est, cum, ut recte Matthiaeus animadvertit, neque οἰμώζομαι, nec οἰμώξω dicerent Attici, sed οἰμώζω et οἰμώξομαι.

Monkius et Nauckius duce Elmslejo ediderunt ἀποιμώζεις; Matthiaeus autem, Bothius, Hermannus, Kirchhoffius, ἀποιμώξῃ, quod placet, et esse genuinum videtur, nam in ejusmodi increpationibus futurum elegantius ponitur, quam tempus praesens [37]).

v. 655. ... οὐδ' ἐτόλμησας θανεῖν
τοῦ σοῦ πρὸ παιδὸς, ἀλλὰ τήνδ' εἰάσατε
γυναῖκ' ὀθνείαν, ἣν ἐγὼ καὶ μητέρα
πατέρα τε γ' ἐνδίκως ἂν ἡγοίμην ἐμόν.

Haec plurimi habent libri; sed in *BC* legitur versu quarto μόνην et ex correctura τε γ' ἐνδίκως, pro quo in ceteris est τ'... ἐνδίκως. Elmslejus, Monkius, Hermannus, Nauckius τ' ἂν ἐνδίκως e conjectura male in contextum receperunt. Equidem τε γ' ἐνδίκως genuinum esse puto; elegantius certe atque aptius hoc exhibetur, quam illud. Utrum vero μόνην an ἐμὸν tenendum sit, difficile est dijudicare; illud tamen magis placet, nam πατέρα ἐμὸν languet, cum, quod hic exspectaveris, nihil sit, cui opponatur pronomen ἐμὸν, in versus fine non sine consilio a poeta collocatum. Kirchhoffii suspicio, neque ἐμὸν, neque μόνην, sed fortasse θανεῖν genuinam esse lectionem existimantis, vix alicui arridebit; offendit enim vox θανεῖν e versu primo male repetita et, a vocabulis γυναῖκ' ὀθνείαν, ad quae referenda est, pluribus aliis

---

[37]) cf. Eur. Phoen. 547 (513).

interpositis disjuncta, durissimum efficit hyperbaton. Frustra quoque Nauckius ἐμοὶ scribere suadet, qua correctura nihil consequimur.

v. 622. Κἀγώ τ' ἂν ἔζων χἤδε τὸν λοιπὸν χρόνον
κοὐκ ἂν μονωθεὶς ἔστενον κακοῖς ἐμοῖς.

Male Kirchhoffius, Bothius, aliique deteriorum librorum lectionem ἔζην tuentur, quae imperfecti forma quanquam a Demosthene interdum usurpata est et a Moeride atque Herodiano ut attica commendatur, ab optimis tamen codicibus non agnoscitur et a Thoma Magistro plane rejicitur [38]). Sed recte Kirchoffius hos versus spurios esse judicat, utpote qui ex h. f. vv. 306. 7. repetiti sint; adde praeterea, quia simillima sententia jam vv. 660. 61. βραχὺς δέ σοι πάντως ὁ λοιπὸς ἦν βιώσιμος χρόνος expressa est et quia voces λοιπὸς et χρόνος in duobus subsequentibus versibus repetitae offendunt.

v. 684. ΧΟ. παύσασθ' ἅλις γὰρ ἡ παροῦσα συμφορά·
ὦ παῖ· πατρὸς δέ μὴ παροξύνῃς φρένας.
ΦΕ. ὦ παῖ, τίν' αὐχεῖς, πότερα Λυδὸν ἢ Φρύγα
κακοῖς ἐλαύνειν ἀργυρώνητον σέθεν;

Elmslejus assentiente Kirchhoffio et Nauckio voces ὦ παῖ ex versu tertio in secundum illatas esse putat. Equidem eas versu tertio male insertas esse persuasum habeo. Decet enim senes, ex quibus chorus constat, nomine παῖ vel regem appellare; displicet autem simile Pheretis orationis initium, cum homines ira exacerbati, ut est Pheres, tam blanda allocutione uti non soleant. Quapropter haud scio an cum Bothio scribendum sit παπαὶ, τίν' αὐχεῖς κ. τ. ἑ. Particula παπαὶ enim variis affectibus servit exprimendis, velut dolori, admirationi rei ingratae, contemptui, quarum significationum

[38]) cf. Soph. El. 323. πέποιθ, ἐπεὶ τἂν οὐ μακρὰν ἔζων ἐγώ.

quaevis apta est huic loco, vix aptum *ὦ παῖ* in tanta commotione animi.

v. 761. .... *ἀλλὰ τοῦδ' οὔπω ξένου*
κακίον' εἰς τήνδ' ἑστίαν ἐδεξάμην,
ὃς πρῶτα μὲν πενθοῦντα δεσπότην ὁρῶν
εἰςῆλθε κἀτόλμησ' ἀμείψασθαι πύλας.

Sic quidem libri; sed displicet versus quartus, cui haud scio an medela adhibenda sit. Languidae enim sunt voces *ἀμείψασθαι πύλας*, quae, cum ejusdem significationis verbum *εἰςῆλθε* antecesserit, tautologiam continent, quam ne in servi quidem oratione probaveris. Quapropter versum corruptum esse puto, quem levi correctura sic scripserim: *εἰςῆλθε κοὐ τόλμησ' ἀμείψασθαι πύλας*, quod vertas: domum intravit, nec ea exire voluit [39]. Magis fortasse alicui conjicienti placebit *εἰςῆλθε κοὐ τόλμησ' ἀνήνασθαι πύλας* [40]. Equidem hunc versum, quidquid illud est, in quo laborat, non a poeta profectum esse persuasum habeo.

v. 804. *τὰ δ' ἄλλ' ἔασον ταῦτα καὶ πείθου λόγοις*
ἐμοῖσιν, εἴπερ ὀρθά σοι δοκῶ λέγειν.
οἶμαι μέν. οὔκουν τὴν ἄγαν λύπην ἀφεὶς
πίῃ μεθ' ἡμῶν, τάσδ' ὑπερβαλὼν τύχας
στεφάνοις πυκασθείς;

Haec plurimi libri tuentur; Parisinus habet versu quarto *πύλας*, quae lectio in Florentino secundo adscripta est. Vetustissimi codices, nunc quidem deperditi, in hoc versu exhibendo discrepasse videntur, quod, ni fallor ex his

[39]) *ἀμείβεσθαι πύλας* significat proprie domum intrare, ut nos Wesselingius ad Herod. 2, 104. p. 408, 38. docet; at sunt quoque exempla, quibus teste Bothio ejus locutionis significatio domo exire firmatur.

[40]) cf. Hom. Od. 3, 265. *ἀναίνετο ἔργον ἀεικές*. Od. 4. 651. *χαλεπόν κεν ἀνήνασθαι δόσιν εἴη*. Et paullo alio sensu dixit Eur. El. 313. *ἀναίνομαι γυναῖκας*.

Scholiastae verbis elucet: γράφεται πύλας, ἵν' ᾖ ὑπερβὰς τὰς πύλας. εἰ δὲ τύχας, καταφρονήσας. Sed lectio τύχας, quae una probari potest, sine dubio genuina est; πύλας autem ex h. f. v. 841 sublectum esse videtur, quod fortasse initio in codicis margine adscriptum postea in ordinem male receptum est. Frustra Bothius, Musgravium secutus, lectionem πύλας defendebat, eam utrique loco aptissimam esse dicens [41]). Diversissima enim est nostri atque illius loci ratio, ita ut ὑπερβαλὼν πύλας, quod in versum 841 optime quadrat, hujus loci sensum aut ineptum reddat, aut certe corrumpat. Vix enim intelligi potest, quid sibi hic velint Herculis verba, tristem servum adhortantis, ut se relictis aedibus in cubiculum hospitale conferat ibique pocula misceat; nam luce clarius est, non Herculem in servi domum, sed servum in herois cubiculum se collaturum esse, ut vino atque cibo utantur. Optime vero procedit oratio v. 841, ubi Hercules queritur, primum quod Admeti domum omnino intraverit, deinde quod in tanta regis calamitate laetitiae atque gaudio se dederit.

Itaque hoc loco, quem tractamus, τύχας tenendum est; sic enim aptissimus exhibetur sensus hic, ut Hercules ad praesentem malam vitae conditionem contemnendam atque ad fruendum vitae voluptatibus servum adhortetur.

v. 829. *ΘΕ.* οὐκ ἦλθες ἐν δέοντι δέξασθαι δόμοις·
πένθος γάρ ἡμῖν ἐστι· καὶ κουρὰν βλέπεις
μελαμπέπλους στολμούς τε. *HP.* τίς δ' ὁ κατθανών;
μῶν ἢ τέκνων τι φροῦδον ἢ πατὴρ γέρων;

Sic hos versus Nauckius exhibet. Est locus vexatissimus, cui alii aliam medelam adhibebant. Libri admodum inter se dissentiunt. Optimi BC habent

[41]) cf. ea, quae Bothius in adnotationibus ad h. l. disputavit.

versu quarto μῶν ἢ τέκνων τι φροῦδον γένος, ἢ πατὴρ γέρων; quam manifesto corruptam lectionem recentior, ut videtur, manus expuncta voce γένος correxit. In *BC* eadem medela adhibita est et praeterea tuentur τις φροῦδος et γέρων πατὴρ, quod Bothius male in contextum recepit. Felicissime hunc locum Kirchhoffius sic tentabat: μῶν ἢ γένους τι φροῦδον, ad vocem γένους olim adscriptum fuisse suspicans glossema τέκνων, quod postea, ut fere fit, in contextum irrepsisset, quo facto genuina lectio γένους in γένος mutata esset, ut genetivus τέκνων haberet, unde dependeret.

Ceterum tres ultimi versus lacunae explendae causa esse olim interpolati videntur; manifesto enim stichomythiae rationem turbant. Jam schol. Vat. Cobeti haec nos docent: ταῦτα δὲ τὰ τρία (sc. ἰαμβεῖα) ἔν τισιν οὐκ ἔγκειται, unde facile colligi potest, hos versus in archetypo non fuisse, sed postea a librario in unum codicem illatos in reliquos omnes inde irrepsisse.

v. 849. *HP.* ὦ πολλὰ τλᾶσα καρδία καὶ χεὶρ ἐμή
νῦν δεῖξον, οἷον παῖδά σ' ἡ Τιρυνθία
'Ηλεκτρύωνος γείνατ' 'Αλκμήνη Διί!

Hanc lectionem omes codices tuentur; sed depravato accentu legitur in iis 'Ηλεκτρυῶνος; est hoc certe in *B*. Unus Havniensis habet 'Ηλεκτρυόνος, quod Blomfieldius assentiente Matthiaeo, Nauckio aliisque amplexus versum tertium sic emendavit: 'Ηλεκτρυόνος ἐγείνατ' κ. τ. ἑ. Jam Monkius ex utraque conflata lectione scripsit ἐγείνατ' 'Ηλεκτρύωνος, hoc nomine pro quadrisyllabo habito, quod quidem Bothio non displicuit, sed, cum poetis dramaticis non idem in hoc genere jus esse putaret atque epicis, quibus admittenda essent talia propter mensuram versus, edere tamen maluit ἐγείνατ' 'Ηλεκτρύονος, ut accentus nominis congrueret cum ictu metrico, quod venustum esset.

Ac male legit Blomfieldius Ἠλεκτρυόνος, quod cum metrum turbet et in eodem codice Havniensi γεῖνατ' inveniatur, manifesto librarii errore in contextum irrepsit. Ceterum Euripides nusquam, quod sciam, Ἠλεκτρυόνος sed Ἠλεκτρύωνος habet, quorum illud omnino rarissime usurpabatur. Magis fortasse alicui Monkii lectio placebit, quanquam ne ea quidem probari potest. Primum enim vir doctus verborum ordinem ex arbitrio suo mutavit; jam vocem Ἠλεκτρύωνος per synizesin legit, qua licentia tragici, quanquam id genus exempla apud eos exstant, rarissime tamen usi sunt [42]; e conjectura denique scripsit ἐγεῖνατ' pro γεῖνατ', quod libri consensu exhibent. Pessime scripsit Bothius ἐγεῖνατ' Ἠλεκτρύονος, ut scilicet accentus vocis Ἠλεκτρύονος cum ictu metrico congrueret. Sed fugit virum doctum, hanc vocem teste Arcadio in paenultima syllaba accentum habere.

Equidem ea, quae supra protuli, genuina esse puto.

Juvabit fortasse, cum omissum augentum syllabicum in verbo γεῖνατ' aliquem offendere possit, pauca hac de re disputare.

Atque difficile est dijudicare, poetae tragici num omnino, aut quando augmentum syllabicum omittere consueverint, qua de re tanta inter viros doctos orta est controversia, ut alii eorum [43] illos ab ea licentia plane abhorrere, alii autem ea interdum usos esse contenderent [44]. Equidem Matthiaeo non assentior, qui

---

[42]) Vocalis υ synizesin facit in voce Ἐρινύων apud Eur. Iph. T. 931. 970. 1456.; in γενύων apud Aesch. Sept. ad Th. 124.; in δυοῖν apud Soph. Oed. R. 621; in κυανώπιδες apud Aesch. Pers. 559. — Alia exempla synizesis vocalis υ apud tragicos non invenimus.

[43]) Pors. Praef. ad Eur. Hec. et Med. 1138. Elmsl. ad Eur. Bacch. 1132.

[44]) Markl. ad Eur. Suppl. 728. Brunck. ad Eur. Andr. 955 et ad Soph. Oed. C. 1624. Herm. El. Doctr. metr. pag. 52 et 121.

eam licentiam tragicis concedens adeo angustis limitibus circumscribit, ut, quid de iis exemplis censendum sit, quae eos excedunt, nescias, nisi forte ea corrupta esse statuas [45]). Estant enim apud tragicos quatuor exempla, quibus verbum augmento syllabico destitutum alium tenet locum in versu, atque vir doctus desiderat [46]). Putabat quidem Matthiaeus aliique viri docti, eos locos corruptela laborare; sed non video, quo jure regulas constituamus, quibus si aliquid non respondeat, id in suspicionem adducamus, et cur non potius exemplis edocti poetarum praecipue licentiam in hac aut illa re amplificemus. Permirum enim esset, ut omnibus illis quatuor locis, qui librorum consensu sic exhibentur, ut infra citantur, librariorum negligentia lectio corrumperetur. Quapropter praeclare observavit Seidlerus, in nunciorum narrationibus et aliis quibusdam in sermonibus minori severitate in retinendo augmento usos esse tragicos. Quod si tenemus et Hermanno adstipulamur, qui crasin ferri non posse dicit iis locis, quos viri docti ad excusandam omissionem augmenti syllabici eá adjuvare voluerunt, hic locus in eorum exemplorum numero ponendus est, quae haud ita pauca apud tragicos exstant [47]). Frustra igitur viri docti augmento reponendo huic loco medelam adhibebant.

v. 890. *ΧΟ. τὸ μήποτ' εἰςιδεῖν φιλίας ἀλόχου*
πρόσωπον ἄντα λυπρόν.

Haec omnes codices tuentur; sed metro versus antistrophici 907 *πιέζει φανεῖσα θνάτων* ea aut corrupta

45) cf. Matth. §. 160 pag. 373.

46) Soph. Phil. 371. *πλησίον γὰρ ὢν κύρει.* Eur. Hec. 580. *τοιάδ' ἀμφὶ σῆς λέγον παιδὸς θανούσης.* Aesch. Pers. 311. *οἵδε ναὸς ἐκ μιᾶς πέσον.* Eur. Alc. 851.

47) cf. Soph. Phil. 358. Aj. 300. 1275. Trach. 881. 772. 905. Oed. C. 1602. 1608. Aesch. Pers. 308. 488.

aut lacunosa esse docemur. Veteres editiones et Musurus libris invitis *πρόσωπον ἄντα λυπηρόν* exhibent, qua correctura vulnus versui inflictum non sanatur. Jam Musgravius pessimam huic loco medelam adhibuit scribens *πρόσωπόν τιν' ἄντα λυπρόν*, quae quidem lectio versus strophici et antistrophici metrum aequavit, sed sensum depravavit. Deinde Hermannus pro *ἄντα* conjecit *μ' ἔναντα*, quod vix alicui placebit. Idem vir doctissimus alio tempore vocem *λυπρὸν* non genuinam esse putabat, quem secutus Dindorfius simul *ἄντα* proscribendum esse non recte censuit. Bothius denique vocabulorum *ἄντα* et *λυπηρὸν*, ne metrum turbetur, ordine commutato idem tenet, atque veteres editiones.

Equidem librorum lectionem genuinam esse persuasum habeo, sed inter voces *πρόσωπον* et *ἄντα* lacuna statuenda est, quam cum Hartungio interposito pronomine *σ'* expleverim. Sic et metrum bene procedit et sensus redditur optimus.

v. 975. *οὐδ' ὅσα Φοῖβος 'Α —*
σκληπιάδαις παρέδωκε
φάρμακα πολυπόνοις
ἀντιτεμὼν βροτοῖσιν.

Sic libri. Haud male Hermannus, Dindorfius, Pflugkius, Nauckius e conjectura exhibent *ἔδωκε*, ut versus secundus antistrophico 987 ... *ζεις σὺ βίᾳ σίδαρον* accuratissime respondeat.

v. 994. *καὶ θεῶν σκότιοι φθινύθουσι*
παῖδες ἐν θανάτῳ. φίλα μὲν ὅτ' ἦν μεθ' ἡμῶν,
φίλα δὲ θανοῦσα ἔσται.

Bothius et Nauckius omnibus libris praeter *B* invitis male tuentur *φθίνουσι*, cum vera vitii sedes in antistropha potius v. 1003 *καί τις δοχμίαν κέλευθον*, ut nos sententia ibi minus apta monet, quaerenda sit.

Sed versus ex his quos protulimus tertius tanta codicum discrepantia exhibetur, ut quae genuina sint

firmis argumentis vix probari potest. *φίλα δὲ καὶ* tenent B*BC*b; *φίλα δὲ* Ccd; jam BCcd habent *θανοῦσ' ἔσται*, b *θανοῦσα ἔσται*, *B θανοῦσά ἐστιν*, *C θανοῦσ' ἐστίν*.

Nauckius ingeniose quidem, sed non probabiliter, lectionem *καὶ* et *ἔσται* ex genuina *κεῖται* ortam esse ratus scripsit *φίλα δὲ θανοῦσα κεῖται*. Idem vir doctus olim haec suspicabatur: *φίλα δὲ, θανοῦσ' ἐσαεὶ*, quae displicent. Jam Kirchhoffius *φίλα δὲ καὶ θανοῦσα ἔσται* praetulit, quam lectionem cur amplexus sit, cum nec in optimis libris inveniatur, nec metrum sanaverit, non intelligimus. Pessime denique Bothius *φίλα δ' ἔτι καὶ θανοῦσα* ex arbitrio suo in contextum recepit. Nobis vocula *καὶ* a librario metri causa male interpolata, verbum *θανοῦσα* autem propter hiatum, qui ei displicuit, in *θανοῦσ'* esse correctum videtur. Quapropter Euripidem *φίλα δὲ θανοῦσα ἔσται* scripsisse suspicamur; sic enim versus strophicus cum antistrophico 1005 *νῦν δ' ἐστὶ μάκαιρα δαίμων* aequatur.

v. 1059. *διπλῆν φοβοῦμαι μέμψιν, ἔκ τε δημοτῶν,*
μή τίς μ' ἐλέγχῃ τὴν ἐμὴν εὐεργέτιν
προδόντ' ἐν ἄλλοις δεμνίοις πίτνειν νέας,
καὶ τῆς θανούσης·

Magis placet *ἐλέγχῃ*, quod unus codex B tuetur, quam reliquorum omnium *ἐλέγξῃ*; hic enim desideras, ut exprimatur actio saepius repetita, quam vim *ἐλέγξῃ* non exercet.

v. 1079. *HP. μὴ νῦν ὑπέρβαιν' ἀλλ' ἐναισίμως φέρε.*

Optimi plurimique libri BC *ABC* habent *ὑπέρβαιν'*; deteriores abcd *ὑπέρβαλ'*, quam lectionem Bothius et Nauckius sine ulla idonea causa in *ὑπέρβαλλ'* mutaverunt, alii autem sic, ut exhibetur, amplexi sunt. Sed bene se habet *ὑπέρβαιν'*, quod sensu verbi *ἁμαρτάνειν* elegantius hic positum est, quam *ὑπέρβαλ'* [48]).

---

[48]) cf. Hom. Il. 9, 501, *ὅτε κέν τις ὑπερβήῃ καὶ ἁμάρτῃ.*

v. 1092. *ΑΔ. οὐκ ἔστιν ἥτις τῷδ' ἀνδρὶ συγκλιθήσεται.*

Haec quidem BC tuentur; sed metrum nos docet, hunc versum corruptum esse. In ceteris omnibus libris vox *ἀνδρὶ* delata et *τῷδε* scriptum est, quod mihi esse genuinum videtur. Erat fortasse vocabulum *ἀνδρὶ* initio in codicis margine adscriptum, postea vero a librario in ordinem receptum, qui de pronominis *ὅδε* conjunctione cum voce *ἀνήρ*, quod ei passim apud tragicos occurrit, cogitans, hic quoque neglecta ratione metrica *τῷδ' ἀνδρὶ* scribendum esse putabat. Kirchhoffius hanc lectionem defensurus, ne metrum turbetur, *ἥτις* in *ἣ* mutare suadet; sed haec emendatio displicet, quia illud multo pressius et significantius positum est, quam hoc.

v. 1115. *ΑΔ. σὺ δ' αὐτὸς αὐτὴν εἴσαγ', εἰ βούλει, δόμους.*

Male tuetur B *εἰςάγαγ'*, pro quo Kirchhofius non melius *ἐσάγαγ'* e conjectura scripsit; metrum enim, sive hoc, sive illud teneas, turbatur. Manifesto librarii errore syllaba *αγ* bis repetita est.

Jam *δόμους* (sic unus *C*; ceteri omnes habent *δόμοις*) magis hic placet, quam *δόμοις*; verbum *εἰςάγειν* enim accusativum desiderat. Saepenumero *ους* et *οις* a librariis confunduntur. Frustra Hermannus lectionem *δόμοις* defendit, paullo exquisitius sic eam explicans: a d d o m u m, u t s i t d o m e s t i c a e t i n f a m i l i a r i b u s h a b e a t u r. Lectio *δόκει* denique, quam pro *βούλει* *ABC* exhibent, minus verecundam correctoris manum prodit.

v. 1120. *ΗΡ. τόλμα προτεῖναι χεῖρα καὶ θιγεῖν ξένης.*
ΑΔ. καὶ δὴ προτείνω, Γοργόν' ὡς καρατόμῳ.

Alii libri aliter hunc locum exhibent. BC habent *προτεῖναι* et *θίγειν*; bcd *πρότεινε* et *θίγε*; *ABC* *προτείνειν* et *θίγειν*; *καί δὴ* legitur in BCbc; *καί μὴν* in *ABC*.

Plat. Rep. II. 366. a. *ὑπερβαίνοντες καὶ ἁμαρτάνοντες.* Soph. Antg. 659. *ὅστις ὑπερβὰς ἢ νόμους βιάζεται.*

Vulgus editionum *πρότεινειν*, *θίγειν* et *καὶ μήν*, Elmslejus autem, Hermannus, Nauckius, Kirchhoffius *προτεῖναι*, *θιγεῖν* et *καὶ δή* tuentur. Recte vidit Elmslejus, pro librorum *θίγειν* scribendum esse *θιγεῖν*, nam temporis praesentis forma *θίγω* nullis certis exemplis firmatur [49]). Placuit Matthiaeo quoque in notis Hermanni lectio; sed in ipso ordine habet *πρότεινε*, *θίγε* et *καὶ δή*, quod Valckenaerius in adnotationibus ad Eur. Phoen. v. 458. 9. probat. Bothius denique diversorum codicum lectione conflata male scripsit *προτεῖναι*, *θίγε*, et *καὶ δή*, qua lectione nihil consequimur.

Mihi quidem Matthiaei lectio maxime arridet, quippe quae Herculis orationem vividam reddat et, quod hic venustum est, gradationem a minori ad majus efficiat. Primum enim Hercules Admetum adhortatur, ut demissum animum erigat (*τόλμα*) [50]), deinde ut in alienam mulierem manum porrigat, postremo eam ut prehendat.

Sed optimorum librorum *προτεῖναι* et *θιγεῖν* (nam *θίγειν* male exhibetur) tenendum est. Latine haec ita vertas: audeas manum porrexisse et alienam mulierem prehendisse [51]).

At mireris licet, quod alii libri *καὶ δή*, alii vero *καὶ μήν* exhibentur, quorum quae genuina sint, nobis satis non liquet. Matthiaeus verius sibi *καὶ δή* hic videri dicit, quia hae particulae eorum, quae subjiciuntur, similitudinem aliquam cum praecedentibus ac consequentibus indicent; *καὶ μήν* autem diversitatem: quo factum sit, ut hae particulae ponantur et ubi ad novam

---

49) cf. Schaef. ad Gregor. Cor. 990.

50) Simili sensu verbum *τολμᾶν* absolute positum est apud Soph. Phil. 82 et 476.

51) cf. Horat. Carm. I, 1, 3. Sunt quos curriculo pulverem Olympicum collegisse juvat.

rem transitur, et a tragicis, ubi nova persona in scenam prodit. Sed utraque lectio hic tolerari posse videtur. Quodsi enim *καὶ δὴ* legis, Admeti verba ita intelligenda sunt, ut sine ulla cunctatione Herculis precibus concedat; sin autem *καὶ μὴν*, (vocibus *οὐ τολμῶ* ex versu antecedenti subauditis) ut, quamvis invitus id faciat, nihilominus tamen heroï morigeretur. Itaque, nisi forte praejudicati quid feramus, optimis codicibus summam ubique auctoritatem tribuendam esse rati, quid Euripides hic scripserit, quaeri potest.

v. 1122. *HP. ἔχεις; ΑΔ. ἔχω. HP. ναί, σῶζε νυν καὶ τὸν Διὸς*
φήσεις πότ' εἶναι παῖδα γενναῖον ξένον.

Sic quidem libri, quod Bothius, Nauckius aliique amplexi sunt; paullo melius Kirchhoffius scripsit *νῦν* pro *νυν*. Equidem praeeunte Monkio poetam scripsisse suspicor *νιν* (=*αὐτὴν*). Apte enim Hercules, Alcestidem Admeto tradens, eam incolumem servari cupit. Lectio *σῶζε νῦν* autem explicanda est per vale nunc, quae sententia, cum Hercules jam jam abiturus Admeto ultimum vale dixerit (v. 1152 *καὶ χαῖρ'*), hic non requiritur.

v. 1126. *ΑΔ. ὦ θεοί, τί λεύσσω; θαῦμ' ἀνέλπιστον τόδε·*
γυναῖκα λεύσσω τὴν ἐμὴν ἐτητύμως.

Nauckius, Bothius aliique optimis libris invitis tuentur versu primo *λέξω*, quod *ABC* habent. Sed verisimilius est, eum, qui aliquid praeter opinionem videt, exclamare quid video, quam quid dicam. Jam verbum *λεύσσω*, quod illos viros doctos offendit, versu secundo elegantissime repetitur. Nostra sic vertas: O dii, quid video? .. video uxorem. Admetus igitur se ipsum interrogat et sibi ipse respondet.

v. 1130. *ΑΔ. ὅρα γε μή τι φάσμα νερτέρων τόδ' ᾖ.*

Haec omnes codices consensu exhibent; unus B pro ἦ tenet εἰσορῶ, quod metri causa tolerari non potest, nisi corruptelae sedem alibi in versu esse statuas. Omnes fere viri docti hanc, quam protulimus, lectionem amplexi sunt. Sed optime Kirchhoffius ad hunc locum sic disputavit: non apte ab Admeto illud ὅρα γε pronunciari videtur. Id potius ab interprete olim additum putaverim, cum ex ΑΛΛΗΤΙ initio versus proclivi scriptoris errore factum esset ΜΗΤΙ. Quapropter Euripidem ἀλλ' ἦ τι φάσμα νερτέρων. τόδ' εἰσορῶ; scripsisse suspicor.

v. 1156. ΑΔ. ἀλλ' εὐτυχοίης, νόστιμον δ' ἔλθοις ὁδόν.

Est versus, qui in fine olim mutilus, lacunae explendae causa ab aliis libris aliter nunc exhibetur. BC habent ὁδὸν, B et Byzantini πόδα, AC δόμον. In C tamen hoc adscriptum est: γράφεται πόδα καί ὁδόν. Vulgo legitur δόμον; Gaisfordus, Matthiaeus, Monkius, Bothius tenent ὁδόν; Dindorfius autem, Pflugkius, Nauckius πόδα, quod Matthiaeo et Bothio ex Euripidis Hecubae v. 890 fluxisse videtur; Kirchhoffius denique quid genuinum sit in medio relinquit.

Atque vulgata lectio displiceat necesse est. Vocem νόστιμος enim tragici ita non usurpabant, ut esset attributum vocabuli δόμος, quod vix apte fieri potest [52]). Jam lectio πόδα deteriorum codicum, qui ipsi ὁδὸν adscriptum habent, auctoritate adjuvatur, quam ut eam contra optimos libros teneamus. Itaque cum libro Vaticano et Havniensi melius scribas ὁδόν.

Sed nobis, cum hic conjicere liceat, videtur genuinum esse νόστιμος δ' ἔλθοις δόμον, quae lectio in Admeti

[52]) Dixerunt quidem tragici aliique poetae νόστιμον ἦμαρ, νόστιμον φάος, νόστιμος ὁδός; sed nusquam dictum est νόστιμος δόμος sensu domus, quam quis revertitur.

orationem optime quadrat. Rex enim, cum Herculem paullo ante ut apud se maneat frustra rogaverit, ab eoque responsum tulerit, nunc sibi properandum, sed alio se tempore ad eum venturum esse: discedenti heroi primum ultimum vale dicit (εὐτυχοίης), deinde, ut salvus atque incolumis (νόστιμος)[53]) ex periculoso itinere revertatur optans, eum ad se invitat (ἔλθοις δόμον). Sic Admeti oratio melius procedit, quam si νόστιμον ὁδὸν aut νόστιμον πόδα tenemus.

Verum hic finem disputationis nostrae jam faciamus, gratiam simul et indulgentiam, quod jam in praefatione fecimus, benevoli atque eruditi lectoris iterum iterumque requirentes, ut, si multa manca, probabilia perpauca inveniet, hanc ob causam non totum opusculum condemnandum et rejiciendum esse putet.

---

53) Vox νόστιμος absolute usurpata eum significat, qui salvus revertitur. Sic Hom. Od. 4. 806. 19, 85. 20, 283. Aesch. Ag. 601.

VITA.

Vladislaus de Kolanowski natus sum Posnaniae anno h. s. tricesimo secundo die XIII. mensis Septembris patre Stanislao, Civi Posnaniensi, matre autem Marianna e gente Stęszewska, quos morte nuper ereptos admodum lugeo, addictusque sum fidei catholicae. Postquam prima literarum elementa in domo paterna didici, anno aetatis octavo a Parentibus optimis carissimis disciplinae gymnasii, quod patria in urbe florebat tum Ill. Stoc Directore, traditus sum. Decem fere annos scholae hujus alumnus fui, disciplina optimorum et doctissimorum praeceptorum usus, quos pia grataque memoria prosequor omnes. Postea vero gymnasium Ostroviense, quod tum Ill. Engero laetabatur Directore et nunc quoque floret, per quindecim menses frequentavi. Jam tunc ingenuus quidam literarum antiquarum amor tantum praevaluit, ut in iis operam collocare constituerem. Hanc igitur ob causam, ut in literas has incumberem, testimonio maturitatis instructus, mense Octobre anni h. s. LI Vratislaviam me contuli ibique in numerum Civium Academicorum per Rectorem Magnificum Baltzer receptus, nomen apud Ill. Stenzler, Ordinis Phi-

losophorum t. t. Decanum, rite professus sum. Per novem semestria interfui scholis philologicis, philosophis, historicis a VV. Ill. DD. Haase, Schneider, Ambrosch, Braniss, Elvenich, Wagner, Roepell, Cahlert, Cauer, Stenzler, Bernays, Suckow, Krainski habitis Initio septimi semestris inter sodales seminarii regii, quod auspiciis VV. Ill. Schneider et Haase florebat, receptus per unum annum exercitationum particeps fui. Quibus omnibus Viris Illustrissimis Doctissimis gratiam habeo quam maximam semperque gratissimo animo nomen eorum prosequar.

THESES.

1) Difficile est dijudicare, utrum Sophocli an Euripidi palma deferenda sit.
2) Euripides quamvis opinionem de diis vulgo conceptam improbaret, tamen usitatas perceptasque deorum cognitiones minime tollebat.
3) Plato in Lysia poetas *πατέρας τῆς σοφίας καὶ ἡγεμόνας* optimo jure appellat.
4) Aristotelis verba in Rhet. III. 2. *δεῖ δὲ λανθάνειν ποιοῦντας καὶ μὴ δοκεῖν λέγειν πεπλασμένως, ἀλλὰ πεφυκότως* recte se habere contendo.
5) Probo Aristotelis sententiam, qua primariam tragoediae personam neque sanctissimum neque sceleratissimum hominem esse debere dicit.
6) Nulla est vera philosophia, nisi quae fidem Christianam fundamentum habet.

CORRIGENDA.

Pagina	4	versus	21	pro *ξυμβῇ* lege *ξυμβῇ*.
„	9	„	1	pro *mnltis* lege *multis*.
„	9	„	13	pro *versum* 18 lege *versum* 19.
„	12	„	17	pro *affere* lege *afferre*.
„	12	„	35	pro *οθεν* lege *ὅθεν*.
„	13	„	18	vox *genuinam* delenda est.
„	13	„	20	pro *cogitarc* lege *cogitare*.
„	15	„	17	pro *κ. τ. ἐ.* lege *κ. τ. ἑ.*
„	16	„	3	pro *῎Αλκηστις* lege *Ἄλκηστις*.
„	16	„	7	pro *κ. τ. ἐ.* lege *κ. τ. ἑ.*
„	20	„	28	pro *χεῖρ* lege *χείρ*.
„	22	„	19	vox *delendum* delenda est.
„	23	„	20	pro *πόριζε· δὴ πόριζε* lege *πόριζε δὴ πόριζε·*.
„	25	„	12	pro *igitu rverborum* lege *igitur verborum*.
„	28	„	16	pro *Ἰώ μου* lege *Ἰώ μοι*.
„	29	„	22	pro *ὠρφάνισɜν* lege *ὠρφάνισεν*.
„	34	„	29	pro *esser atus* lege *esse ratus*.
„	34	„	30	pro *tertium* lege *quartum*.
„	38	„	29	pro *Kirchoffius* lege *Kirchhoffius*.
„	40	„	4	pro *v.* 622 lege *v.* 662.
„	40	„	18	pro *παύσασθ'* lege *παύσασθ'*·.
„	45	„	4	pro *Estant* lege *Exstant*.

[redacted]